



**Tabulae Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae
Blattarvm Inclementiam euasêre, de Festis ac Dominicis**

Tertia Navfragii Tabvla: Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae Blattarvm
inclementiam euasere, de Festis

Bosquier, Philippe

Coloniae, 1615

In festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56152)

IN ASSVMPTIONE, SEV
 umpho Mariæ Virginis Deiparæ,
 murci, in Conuentu FF. Minorum,
 râ 1. pomeridiana 1587. & Auesnis, iter
 (sed magnis incrementis) 1614. 15. A
 gusti in templo Superiore, Phra-
 triâ Virginis Mariæ Bos-
 khierum pos-
 cente.

*Thema. Nemo nostrum sibi uiuit, & nemo
 sibi moritur; Sive enim uiuimus, Domino
 uiuimus. sive morimur, Domino morimur.
 Sive ergo uiuimus, sive morimur, Deo
 sumus. Rom. 14.*

Profectò liceat mihi dicere, quod D. Bernar-
 dus olim: Non est sanè quod amplius me delectat
 sed & quod me terreat magis, quàm sermonem ha-
 re de gloria Virginis. Serm. 4. de Assumpt.

Si enim nescio quo naturæ instinctu uiros
 lectat de sexu socio seu muliebri loqui, adeo
 quidam prouerbio lepidiore dicere soleant, *Con-
 uuiuium sine muliere, esse uelut
 tunicam sine manicis*, id est, & parùm lætum
 me quoque delectaret de sexu illo loqui, de-
 tandem muliere aptiùs loquar, si conditionem
 fortem meam spectes, quàm de muliere benedi-

*inter mulieres, muliere omnium illustrissima, quâ
quâ eam spectes?*

Quid memoro sortem meam? Omnium omnino, & omnis conditionis hominum est, de Maria libenter & loqui, & audire, scribere, & legere, & pingere &c.

Delectat me certe de ea loqui, quia mater Domini mei est.

Delectat, quia mater mea est, vti Christianorum omnium, iure & vi illius verbi Christi ad Iohannem, totam tunc Ecclesiam representantem, *Ecce mater tua*. O beatos nostali matre, qua constituimur iterum cohæredes Christi!

Delectat, quia beneficijs suis innumeris me priuatim deuinxit.

Delectat, quia omnium PP. Ordinis mei singulare delictum & præsidium est, ac semper fuit, ac Francisci ipsius quidem maximè.

Delectat, quia quidquid in ea est, pulcrum est, amabile est, iucundum est &c.

Terret verò, quia illa tanta est, ego tam vilis, & nihili homuncio.

Nata est miraculo, ex diu sterilibus.

Sapiens ante annos, celerato vsu rationis.

Nupta, aut desponsata non sine miraculo, in virga sponsi sui florida.

Grauidata, miraculo omnium maximo, sine viro.

Grauida, sine grauedine, ac molestia. *Gestantē gestabat onus.*

Puerpera, sine dolore, & sigilli corruptione.

Pauciloqua, & singulis verbis edens tota
miracula.

Moriens, & non dolens.

Mortua, & Iudæum feretro iniurium mir
lo vlciscens,

Sepulta, & non putrescens.

Fœmina, Angelis prælata.

Mater filij specièi non suæ, mater filij Dei.

Vno verbo, Miraculorum officina.

Nec digna concipere potest cogitatio sterili
nec inerudita lingua eloqui, digna mulieris huius
excelsitate.

Nec flosculis vllis Rhetorum fatis digna
fluere, nec Theologorum machinis satis poterat
aperire mihi viâ ad laudes eius possum. Tanta
conantem onus debilitat. *Vox faucibus hæret.*

Vereor semper, ne vt Solis spectatoribus au
culis oculi solent caligare, sic mihi tantæ excel
tiæ contemplatori acies intellectus hebescat,
lingua mutescat.

Vereor semper, ne dùm incipio eam depingere
pro viriculis, mihi accidat nihil posse, raptò nimis
excellentiæ admiratione, vt quondam Apelli
Campaspen Alexandri Magni nudatū depingere
esset adgressus.

Fuit ea Campaspe vna ex pallacis, id est con
cubinis (gall. courtisanes) Alexandri Magni,
quidem charissima, quam tamen Alexander de
pelli, cùm eum inter pingendum pari captum
more sensisset, dono dedit magnus animo, maior impera
sui, nec minor hoc factò, quàm victoria aliqua: quæ
pe se vicit, nec thorum tantum suum, sed etiam affe
ctum

Etum donavit artifice, ne dilecta quidem respectu motus, ut quæ modò Regis fuisset, modò Pictoris essent. Plinius lib. 35. c. 10.

Imò melius dicamus, vereor ne mihi accidat, quod Pictori Abgari Edesse Regis ad pingendum Christum misso, cui splendorem faciei Christi oculos sic perstrinxisse, & penicillum ità interturbauisse vulgò ferunt, ut impicta & infecta tabella discedere coactus sit.

Terret me terret profectò tanta Virginis excellentia, tantæ vilitati, inscitia, & tenuitati in dicendo meæ comparata.

Adde indignitatem oris huius & labiorum, ut de tanta sanctitate ac puritate dicant, qua maior sub Deo nequit intelligi.

Vir pollutus labiis ego sum. Isai. ac non solum mutus aut barbarus.

Vt mutus de Matre Verbi! ut tam impura anima, tam immunda labia & lingua, de tanta puritate audeant cogitare, & loqui! Proh imparitatem!

Quid, quòd festi eius omnium maximi etiam fulgore terreor?

Est enim hic dies Virginis Mariæ sollemnissimus. Triumphus eius est, quo Cælo inuecta est, & in Capitolium summi Tonantis adducta.

Olim hunc diem vocabant *Diem Dominae*, ob eius excellentiam, ait ex Cartuitio in Hunnis in vita Stephani Regis, Baronius.

Citharæ dum ergò & præconem, tibicinemq; optimum hic eius quasi nuptialis & genialis dies

merebatur, qui epithalamium dignum Sponso & sponfa, & Epinicion dignum tali victri ce, & ipse quoque brabeuta decantaret.

Non tali auxilio, nec concentoribus istis

Tempus eget, non si ipse meus nunc afforet Orpheus
Orlandus ille Cæsarimontanus.

Vereor, vt triumphum & nuptias tantas manus cantor dehonestem.

Ferè libeat dicere de Maria virgine, de que eius hodierno triumpho, quod Sallustius olim de Carthagine rivali Rom. imperij: *De Carthagine filere melius puto, quàm parùm dicere.* Sallust. in Iugurthino.

Vnum est tamen inter tam multos terrores quo valdè recreor, Humilitas, id est, modestia triumphantis, & se hominem semper inter honores diuinos recordantis.

Virgo humillima humiles laudes humiliantis se præconis non est (vti spero) dedignatura.

Non enim est olim nec ipsa, nec filius eius in cunis, cum cingeretur Angelis toto cælo concinentibus lætum illud, *Gloria in excelsis Deo &c.* & Cælo, Terræque, & Matri natoque harmonia insueta adplaudentibus, auersata rusticorum & pastorum cantus qualescunque, seu tenui auena editos, seu viella (vt nostrates vocant.)

Non est etiàm tùm dedignata vilia bouis asinique ministeria, filiolum in præsepi rigentem ad flatu, quo poterant, calefacientium.

Non auersabitur etiàm (spero) me asininum nescio quid rudentem, & nescio quid inconditum boantem.

Vt Alexandro Magno maior sit virgo Maria, non gerit tam magnos spiritus, quam Alexander, vt nolit, se pingi in tabella, aut ære fingi, nisi à summis artificibus.

Ferunt enim Alexandrum edicto vetuisse, se ab alio vlllo quam ab Apelle pingi, fingi autem ab alio quam à Lyssippo.

Horat. lib. 2. epp. ep. 1. Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem

Pingeret; aut alius Lyssippo duceret æra

Fortis Alexandri vultum simulantia.

Tam capitale hoc tunc erat, quam nunc sine autoramento Principum monetam cudere. Sed capitale non erit cuiquam, hanc B. Virginem pingere ac laudare voluisse.

Denique, cum soleat ipsa nos iuuare, reliquorum diuorum laudibus celebrandis, non videtur mihi cantori laudum suarum qualicumque futura.

Quæ adest sæpè non inuocantibus, vt in nuptijs, cum impetrauit aquas in vina converti; aderit (spero) & mihi inuocanti, ac dicenti, *dignare me laudare te, virgo sacrata &c.*

Dicendum ergo hodie mihi	{	<p>1. Cur Mater-Virgo tam diu post Christi ascensum in cælum, in terris relicta, cum tamen ipsi esset optatissimum mori;</p> <p>2. An mortua sit; & quibus priuilegijs, mors eius differens fuerit à morte omnium nostrum;</p> <p>3. Et corpore & anima beatam nunc esse. A V E.</p>
--------------------------	---	--

I. Cur

I.

*Cūr Mater-Virgo tam diu post Christi ascensum in
cælum, in terris relicta, cū tamen mori
esset ipsi optatissi-
mum.*

Ea est cum primis (Auditores &c.) Bonorum
Improbiorumque differentia, ut Boni ferè optent
mori, Improbi autem perhorrescant.

Bonis Mors in votis ac desiderio, Vita in Pa-
tentiâ. Ferunt uti possunt, quòd diu uiuant.

Si omninò non est *Optimum non nasci*, saltem o-
ptimo proximum est *citò mori*.

Plin. lib. 7. c. 54. *Natura nihil hominibus breuitate
vitæ præstitit melius.*

Mors sola portum ærumnis dabit.

De Bonis ita esse, singulæ propemodùm scri-
pturæ paginæ loquuntur.

Iob 10. *Tædet animam meam vitæ meæ.*

3. Regg. 19. *Sufficit, Domine, tolle animam meam,
non sum melior Patribus meis, ait Elias.*

Psal. 119. Dauid ipse, alioqui Rex beatissimus,
Heu mihi (inquit) quia incolatus meus prolongatus est.

Psal. . . . *Educ de custodia animam meam ad con-
fitendum nomini tuo.*

*Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aqua-
rum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

*Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quan-
dò veniam & adparebo antè faciem Dei. Psal.*

Rom. 7. Paulus: *Quis me liberabit de corpore mor-
tis huius? Philip. 1 Mori lucrum.*

*Cupio dissolui, & esse cum Christo. Vbi Paulus lo-
quitur*

quitur, tamquam si remex aliquis esset, aut damnatus ad triremes; quasi diceret: Ego quidem hic sto, hic viuo, sed quia victus sum catena toto corpore. Hinc non ab eo quidem, sed quoniam me pedicæ & manicæ tenent nolentem, & abire conantem.

Soluantur catenæ, & modo euolauero. O utinam sit aliquis, qui me dissoluat! *Cupio, cupio dissolui, &c.*

S. Monica D. Augustini mater longam hanc vitam pertæsa dicebat: *Quid hic facio? quid hic facio?* August. lib. 9. confess. c. 10.

D. Catharina Senensis sic aliquandò orasse legitur; *Mi dulcissime & super omnia dilectissime Domine cur queso me tamdiu à tuo sanctissimo complexu diuelli sinus? educ de carcere animam meam, &c.*

Fuit & quidam magnus Christi amator, tam ardentem mortem sitiens, quò Christi faciem cerneret, vt frequenter ad mortuorum funera visenda properaret, vt saltem mortis illo aliquo cõspectu lætaretur, quòd ea optanti sibi obuenire aliquando deberet.

Contrà, Improbi sic mortem timent, vt ne eius mentionem quidem vllam fieri velint, & vel audito eius solo nomine exalbescant, pallefcant, vt ad crucem vilam fures, ad securim Maiestatis violatores. His solis *omnium terribilium terribilissimum est mors*

Vt fures, cum duntaxat subaudiunt agros syluasque peruolare, Quælitorem prædonum, Agrique præfectum contremunt,

Et mota ad Lunam trepidant vel arundinis vmbra,
iam-

iamque collo se teneri, & laqueum sibi iniectum putant;

Et, ut rei læsæ Maiestatis, quoties sonantes claves audiunt, & carceris portas aperiri, iam iam a se deferri mortis sententiam putant, iam ad securim se aut laqueum vocari, Ità improbi vel auditi Mortis commemoratione.

Iam iam se rapi ad inferni pœnas opinantur.

Maria ergò cum fuerit omnium Bonorum Optima, haud dubiò à Christi in Cœlum Ascensione mortem multis votis ardentissimè optavit.

Nihil enim in eâ fuit eorum cùm cæteri ferè Mortem timent,

Non laboravit } 1. Infidelitate,
neque } 2. Amore mundi vlllo,
 } 3. Conscientiæ sordibus.

* 1. Infidelitate, seu dubio aliquo de Anima Immortalitate, aut de cœli gaudijs, quæ creditur Deus præparasse diligentibus se. D. Cyprianus serm. 4. de mortalitate mortis metum tribuit imbecillitati fidei nostræ, quia sc. non credimus, vera esse, quæ Deus dicit de præmijs honorum.

Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. &c.

Fidem scilicet plerique in labijs summis dumtaxat habemus, & fidei articulos istos Carnis resurrectionem, vitam æternam, pronuntiamus, hoc tantùm, non etiàm corde gerimus altè impressos, ac repositos.

Et tamen istud (vitam æternam) vos Christiani non

nos fecit; vos facit contentos quemque vxore sua vna, non Turci' mum amplecti, in quo licet quatuor simul vxores ducere, & tot abuti cōcubinis, quot alere quis possit.

Istud (*vitam æternam*) me tenet in Ecclesia, in Religione D. Francisci, pauperem, cœlibem, veste propè morionis indutum, multa digna atque indigna ferentem, quibus omnibus vel crastino renuntiarem, nisi illud (*vitam æternam*) me in officio contineret.

Cūr igitur ego, vosque mecūm sæpè mortem timemus, nisi quia partim credimus illud (*vitam æternam*) partim non credimus, id est, vacillamus? partim credimus, quia eius intuitu ac spe sumus quod sumus, & probè plerique viuimus; partim verò non credimus, quia non satis valere ostēdimus, ad confirmandos animos nostros aduersus mortis metum, sine quâ ad illam *Vitā æternam* iri non potest.

Nam vestram fidem! quis viso pendulo è columna, aut in abaco stante brabio, & auro coronario, non contendat primus ad hastiludia, ad lutas, ad arma?

Præmij verò dubius atque incertus, ait omnia remissiùs?

Vitæ æternæ dubius, quamdiu potest, mori tergiuersatur.

Secūm dicit: *Dubium est, ecquò hinc eatur, quod multis in ore esse video, & erubesco.*

Certa incertis anteferenda.

Sat scitur, quæ vita relinquatur, quæ adeatur, nescitur.

Viuere, consultiſſimum eſt ac ſuauiſſimum &c.
 Hæ ferè aut ſimiles in fide mutantium ſu
 voces.

Mori quoque timent, quibus anima non o
 ditur immortalis, quorum omnia cum vita extingui
 tur.

Maria autem cùm fuerit fidei inſtructiſſima
 ac firmiſſimæ, imò ſedes, aſylum, & ara totius
 dei noſtræ, illo ſcilicet triduo Paſſionis Chriſti
 denique Magiſtra fidei Apoſtoliſ (vti mox dice
 mus:) *beata, quæ credidiſti!* inquit Eliſabeth eam
 alloquens; habuit profectò cur mortem non ſo
 lùm non timeret, ſed etiàm cur maxime opta
 ret.

Hoc erat cùm non iam ſe moriens diſſolui conque
 retur,

*Sed magis ire ſotas, veſtemq; relinquere, vt anguſ
 Gauderet, prælonga ſenex aut cornua ceruus.*

*2. Amore mundi villo. Aegrè enim relinquuntur
 quod impenſiùs amatur.

D. Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in monte
 Non relinquitur ſine dolore, quod cum delectatione
 retinetur.

Iſidorus lib. 3. de ſummo bono c. 63. Cum gra
 ui dolore amittuntur, quæ cum magno amore habentur.
 Minùs autem carendo dolemus, quæ minùs poſſide
 do diligimus.

D. Chryſoſt. homil. 66. in Ioannem. Vinculum
 eſt terrenarum rerum affectio.

Idem ibid. Dulcis præſens vita eſt, & multa plen
 voluptatis, non tamen omnibus, ſed ei, qui terrenis rebus
 afficitur.

Nemo autem alienior à rerum terrenarum amore, quàm virgo Maria.

* i. *Pernouerat enim eius tam vanitatem, quàm breuitatem.*

Mundus transit, & concupiscentia eius.

Omnis qui viderit te, resiliet à te.

Cùm diligatur quod transit, quod diligendum non esset, etiã transitorium non esset?

* ii. *Deindè; cùm ea. Mundum amaret, in quo semper inter aduersissima ac tristissima versata est? cuius nihil dulce ynquam gustauit?*

* iij. *Deniq; alio amore præuenta erat, & multo maioris boni, Dei scilicet, & Christi sui. Clauis clauo pellebatur. Amorem hebetabat amor alius.*

* 3. *Conscientiæ sordibus.* Hæ enim maximè mortem terribilem Improbis faciunt, postquam sciunt scilicet, se pro meritis æternùm cruciandos.

In lucro est, quæ datur hora dilationis.

Absit autem, vt Maria quidquam proprij aut personalis, aut etiã alieni, ac naturalis siue originalis inquinamenti habuisse dicatur, vt timere vel idcirco mortem debuerit.

Conscia mens vt cuiq; sua est, ita concipit intra

Pectora profecto Spemq; Metumq; suo Ouid.

Imò verò eorum istorum loco, ea omnia in Maria fuerunt, ob quæ solet totis votis mors optari,

Optant mortem | 1. Fidelissimi quiq;
| 2. Sciētissimi quiq; celestium bonorum,
| 3. Amantissimi quiq; Dei,

M

4. In-

| 4. Infœlicissimi;

| 5. Optimè sibi conscij.

* 1. Fidelissimi quique, id est, firmissimi in fide beatitudinis æternæ, &c.

Maria omnium fidelissima. Fidei omnium Magistra.

Sola omnes hæreses interemisti, canit de ea Ecclesia. Ergò.

* 2. Scientissimi quique cœlestium bonorum vel speculatione atque intuitione ipsorum, ut Paulus, ut Stephanus; vel reuelatione pleniori, &c.

Nihil volitum, nisi præcognitum, ait schola: *ignoti nulla cupido, quod prouerbio nostrate sic dicitur: notitia ante amorem necessaria est.*

A rei amabilis cognitione pleniore, amor & cupido eius maior inardescit.

Hinc ipsi Stephano, cui certanti cœli aperta fuerant, cui visus Christus è cœli velut amphitheatro spectator luctæ & agonis sui, lapides torrensità dulces fuerunt, ut eos rosis non permutasset, si quis obtulisset.

Hinc & D. Paulo, cui contigerat rapti in tertium cœlum, ibique infanda videre, tam longæ viæ sunt moriendi moræ.

Mihi mori lucrum, aiebat.

Syluanum quendam Abbatem etiã legimus cum surgeret ab oratione, & magnitudinem atque pulchritudinem Dei cõtemplatus esset, itã despicere solitũ res omnes creatas, ut oculos clauderet nec eas vel aspicere duntaxat dignaretur, quin etiam oculis suis dicere solitum: *Claudimini oculi, claudimini: Nihil, n. est in orbe iã pulchri, quod videre possit.*

Ocu

Oculos iam iam à morte sibi æternùm claudì
voluisset desiderio pulcriorum, &c.

D. Chrysoft. hom. 66. in Ioan. *Si quis cælum sus-
piceret, & quæ illic bona sunt contemplaretur, statim
hac contemneret, tanquàm nullius momenti. Nam &
corporum pulcritudo, quoad pulcrius non deprenditur,
in admiratione habetur; cum verò melius adparuerit,
illa prior despicitur. Quod si in illam pulcritudinem eti-
am nos intueri voluerimus, & cœlestis regni speciem cõ-
siderare, confestim nos huius sæculi vinculis dissolueri-
mus.*

Vt videmus quotidie nos Belgæ, auxiliares ne-
scio quos peregrinos milites, etsi nobis graues,
plurimos in Belgium nostrum, ex orbe suo penè
vltimò, adfluere, ob famam ybertatis ac fœlicita-
tis soli Belgici, & cum ibi sunt, ad suos redire vix
posse, cum verò ad suos semel redierunt, semper
de Belgio & de reditu illuc cogitare.

*(Si esses tu formosa minus, peterere modestè. A-
contius ep. ad Cydippen, apud Ouid. in Heroid.*

Audaces facie cogimur esse tuâ.

*Esses pulchra minus, minus affectata fuisses. Ego a-
licubi de Belgicâ ipsa) ita beatitate regionis beato-
rum optimè cognita, æstuantissima semper fiunt
desideria cœlo dignarum animarum.*

Sed nulli notior domus sua fuit, quàm Ma-
tri-Virgini beatitas regionis ac Sedi beatorum,
vt quæ esset deditissima contemplationi, lectio-
ni, &cæt. & animo in cœlis magis quàm in terris
versaretur:

Nostra conuersatio in cœlis est.

Cui Angeli erant familiarissimi:

Quam Spiritus-S. dudum impleffet, ac super
impleffet:

Cui totos 33 & amplius annos datum frui cō-
fortio sermonis Dei filij sui.

Notitiam, primosq₃ gradus vicinia fecit. 4. Me-
tam.

Ergò & Mortis auidissima, quasi regix portę
ad tantorum bonorum accessum.

Voces & querelę quotidianę illius columba
hęc esse poterant: *Quis dabit mihi pennas sicut colūba
& volabo & requiescam?*

Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!

*Quandò veniam! quando veniam, & apparebo ante
faciem Dei.*

* 3. *Amantissimi quiq₃ Dei.* Amor enim vnitiua
est, & conatur ad vnionem, & si possit, etiã op-
tet vnionem tam arctam, vt dicere possis vnita-
tem.

Videre id liceat tam in amore Amicitie, quā
amore Concupiscentię.

Amore enim amicitie agitati, amicos suos ve-
lint in vicinia sua habitare, imò velint domi sui
esse: & vulgò vocant alteros se. *Amicus alter ego.*

Indè tot accessus reditusque, & tam crebra
micorum inter se visitationes.

Velint ex duobus vnum posse conflari, vt
vera alter dicat de altero, *alter ego.*

Amore verò concupiscentie faucij forsitim
multò magis. Adesse semper velit dilectus dile-
ctę, & contrā.

*Sepè valedicto rursus sum multa loquutus, ait qui-
dam de se & vxore Roma abiturus. Ouid. li. 1. Trist.*

Sub noctem dixere vale? iam crastinam noctem
velint redisse, vt adesse, alter alteri iterum pos-
sint.

Expleri, mentem nequit, ardescitq³ tuendo. Virg. 1.
Aeneid.

Lux tardè discedere visa.

Amplexus mutui, oscula vltro citroque data &
accepta, & nuptiarum impatiens illud desiderium,
ex voto illo vnionis est, quod amor gignit; ita (in-
quam) cum

Ex equo captis arserunt mentibus ambo. 4. Meta.

Nunc eadem labente die conuiuia. quarit Dido,

Iliacosq³ iterum demens audire labores

Exposcit, pendetq³ iterum narrantis ab ore. Virg.

4. Aeneid.

Si nondum nuptijs legitimis iungi possunt, iun-
gantur imaginibus sui, vltro citroque datis & ac-
ceptis, iunguntur etiam osculis imaginarijs.

In Animos etiam imagines mutuae illabuntur,
in sculpuntur.

multusq³ recursat

Oris honos: herent infixi pectore vultus. Idè ibid.

Animos animis miscent, cohærent, cum cor-
poribus nondum possunt.

Infectis perfectisue nuptijs, etiam auet consepe-
liri.

poteris nec morte reuelli.

His tamen amborum verbis estote rogati

O multum miseriq³ mei, illiusq³ parentes,

Vt quos certus amor, quos hora nouissima iunxit,

Componi tumulto non inuideatis eodem,

ait Thisbe de se ac Pyramo suo. *Ouid. 4. Metam.*

Itaque à parentibus in eundem rogam missi, & combusti, eadem ambo vna clausi sunt.

Quod q̄, rogis superest, vna requiescit in vna. Ouid. *ibid.*

Adeò est scilicet amor vnitiuus, vti contra odium adeò est dissipatiuum coniuñtorum, vt Etheocles & Polynices fratres mutuis vulneribus interfecti, & in eundem rogam quoq; missi, discipulijisse dicantur.

Sed Dei Opt. Max. nemo amantior Virgine Maria.

Cant. Vulnerata caritate ego sum, secundum litteram, quam ponit Gregor.

Probatio dilectionis Mariæ, exhibitio est operis.

Dei amore, amorem viri & nuptiarum spreuit, voto virginitatis emisso.

Dei amore, exilium septenne fortiter est profusa, cum tenello adhuc filiolo ex vberibus pendulo.

Dei amore, cõuulnerata fuit Christo in cruce vulnerato.

Luc. 2. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Sub cruce Christi, vt Thisbe sub moro Pyrami sui, lancea qua Christus ipse transfossus fuit, eadem & ipsa transfossa est, vt Thisbe gladio sui Pyrami.

Ergò eadem moriendi cupidissima, vt cum amato suo esse posset.

*Luc. ** Adde Maternitatem, Amori eius in Deum magnum dedisse incrementum.

Vt luxit Iacob Iosephum suum perditum, & absentem Beniaminum suum abductum in Aegyptum pro alimonijs! *Genes.*

Vt in Aegypto sciuit viuere, mōx mōx eò non venit tantum, sed adcurrit, imò aduolauit, quamlibet senex & decrepitus.

Vt reditum sui Tobix exoptarunt parentes!

Quotidiè mater in portis, in vijs, in collibus, in fenestris, si fortè prospiceret reuertentem.

Sed Maria-Virgo mater Dei sui fuit.

Et quidem sic Mater, vt etiàm ei pro patre esset, & velut vterque parens, eoq̄ue amor eius ardentior.

Alij parentes, quisque pro virili, amant liberos; Pater, quà pater est; Mater, quà mater est: sed quia scit Pater, & itidem mater, prolem non totam suam esse, sed partim patris, partim matris, etiàm vterque partim amant, & curant æquam vterque partem: vterque quia est semiparens, etiàm semiamans prolis suæ est.

At Mater Virgo, quæ sciuit totum Christum, quæ corpus spectatur, suum vnus esse, nihilque in eo ex viro suo esse, eadem eiusdem Mater, & (vt sic dicam) Pater fuit, Iosepho in Christi generatione non plus habente, quàm quiuis ex præsentibus viris; ideoque Christum plenissimè ac integerrimè amauit, vt totum suum & ipsius vnus.

* Denique adiunge; amorem parentum quoque hoc magis crescere, quò sunt pauciores liberi, formosiores, obedientiores, sapientiores, meliusque morati, &c.

Sed Maria unicum hunc habuit, & quidem preciosum formam præ filiis hominum. Psal. 44.

* *Obedientissimum. Et erat subditus illis; paratus ei ad omnia quous baculo tympani pullatore (sic dicam.)*

* *Sapientissimum; ut in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitaret corporaliter.*

* *Optimè moratum. Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Nam qui peccare possit, vel auit, peccati futurus destructor?

Qui peccare possit Deus? aut in cuius Superioris leges peccaret Supremus, & Optim. Maximus?

Ergò Maria ardentissimè talem filium amauit & pro modo amoris amauit vnionem & proinde mortem.

Possit ut vniri, hæc appetit antè mori.

* *4. Infelicissimi, id est qui aduersis maximè agitantur, seu spontè, seu fortuitò.*

Spontaneis quidem malis agitantur penitentes Eremitæ, Capuccini, & reliqui mundi contemptores; tamen si ex eis quæras; morine hodie an crastino velint? responderint: se hodiè, quam crastino malle.

Hinc etiàm nonnulli, sibi vel laqueo, vel veneno mortem accersunt, malorum præsentium quam inuiti patiuntur finem (ut opinantur) sed reuertuntur in initium multò maiorum, eorumque æternorum.

Nam nemini licet sibi mortem inferre.

Tamdiu in vita cuique standum, quamdiu militat.

militi in sua statione, dum scilicet euocet Deus & Imperator.

Sed quid non aduersi tulit hic Maria?

Perpetuis ferè aduersitatibus vexata est.

Ergò, & Mors illi optatissima, vt laborū portus, aut iter ad portum.

* s. *Optimè sibi conscij.* Sciunt enim per mortem se ad brauium contendere.

Quàm grati sunt militibus mercenarijs tympanorum pulsus ad habendos delectus, & accipienda aliquot mensium stipendia, tam gratum Bonis mori.

At quis Maria sanctior? quis meritis locupletior? quis stipendiorum paratorum certior?

Ergò & illi mori optatissimum.

Ità est (Auditores) fuit Mariæ Virgini mors, maximè ab ascensu filij in cœlum, sanè optatissima.

Sed Deo intùs illam alloquente, hæc aut similia audiuit: Quid? An ignoras, virgo prudentissima, *neminem nostrum sibi viuere, neminem sibi mori? &c. Deo viuendum, Deoq; moriendum?* id est, vitam mortemque non aliter optandum, quàm quæ Dei gloriæ seruiunt?

Cic. I. Off. *Non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem Patria vendicat, partem parentes, partem amici.*

Vt quis satis gloriæ suæ vixerit, quia tamen adhuc Pater, Mater, Amici, Consanguinei, Familiæ, Patria, Ecclesia nostri egent, patienter viuendum.

B. Martinus huc spectans, generosissimè orauit,

cum dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Breu. Rom. 11. Nouemb.

Seneca æger, in gratiam Paulinæ vxoris suæ cui deinceps adhuc erat valdè necessarius, curauit valetudinem suam diligenter, vt scribit ipse ep. ad Lucill. Vide Michaellem Montanum lib. 2. experientiarum, c. 36.

Adhuc est vita tua populo Dei necessaria (Maria.) Deinceps ad aliquot annos vel inuita uiuendum, publico bono.

Siue uiuimus, Domino uiuimus; siue morimur, Domino morimur. Siue ergo uiuimus, siue morimur, Domino sumus. Rom. 14.

Relicta igitur superstes Maria, ab ascensu Christi, quorundam senso		1. Annum vnum & sex menses. Vide Canisium 531. 132.
		2. Annos 9. Hippolytus Thebanus
		3. Annos 11.
		4. Annos 12. Vincentius.
		5. Annos 14. Eusebius in Chronico, nisi alius addidit.
		6. Annos 15.
		7. Annos 24.

Nicephorus lib. 2. c. 21. ait, anno ætatis 60. missum mortis nuntium ad B. Virginem.

Epiphanius presbyter sermone de Deip. græc. Hippolytum quendam Thebanum citat, qui dicitur vitam vixisse annos nouem, post Christi passionem, decessisse anno Domini 43. suæ verò ætatis 57. secundum quod dicitur peperisse Dominum, ægens annum 14.

Epiphanius excessisse è viuis annos natam 72. Cedrenus consentit in Compend. in Tib.

Item Anselmus.

Baronius in Annalibus.

Salmeron. Quorum libenter sto sententiæ.

At quæ tandem cau-
se tam longæ in hâc
vitâ moræ?

1. Ecclesiæ Bonum, &c.

2. Virginis ipsius.

1. Temperandum luctum Apostolorum
de Christi recessu;

2. Confirmandos Apostolos inter aduer-
sa extrinsecâ;

* 1. Ecclesiæ
bonum, ad 3. Observandum familia regimen, ab-
sente Domino,

4. Erudiendos Apostolos,

5. Præluendum exemplis vitæ,

6. Roborandam fidem.

* j. Ad temperandum luctum Apostolorum de
Christi recessu.

Sapientia Dei attingit à fine vsq; ad finem forti-
ter, & disponit omnia suaviter.

Magna lætitia impleuerat Christus Ecclesiam
triumphantem suo in Cœlos ingressu; sed ingen-
ti tristitia Ecclesiam militantem illo suo recessu
affecerat.

Si Matrem vnâ tùm duxisset, nimium lætitiæ
fuiſſet Triumphanti eodem die, nimium tristitiæ
militanti.

Nec triumphans sua gaudia, nec militans tot
tristitia simul ferre potuisset.

Satis erat beatis, vno die gaudere & plaudere
de Ascensione Domini; in alium diem Assum-
ptionis Mariæ gaudium erat differendum.

Satis etiâ mœstitiæ erat superstitibus Apo-
stolis

stolis, &c. vno die illis Christum subduci; non
 rant eorū animi etiā tristitia de Maria sibi quo
 que erepta obprimendi. *poco à poco*. Sensim, ac
 cissim singula.

Patre & matre vno die orbari, vix orphanis
 lerabile.

Sit satis, vno die ab vno vberē ablaçtari.

Sit satis Iacobo, Iosephum suum perdidisse
 cūr etiā illi reliquus Benjamin in Aegyptu
 abducatur?

Sit satis, sub vesperum Solem occidere; salte
 noctu luceat Luna luminare illud minus.

Et solent, qui ab amicis & caris discedunt, aut
 prolem, aut imaginem, & sui mnemolynon ali
 quod relinquere.

Saltem, si qua mihi de te suscepta fuisset

Ante fugam soboles; si quis mihi paruulus aula

Luderet AENEAS, qui te tantum ore referret.

Non equidem omninò capta, aut deserta videtur

ait Dido ad AENEAM recessurum. *Virgil. 4. AENEAS*

Laodamiam Acasti filiam ferunt, cum Pri
 tesilai mariti interitum ad Troiam rescuuisse
 hoc vnum sui doloris sui solatium petiuisse,
 vel mortui vmbra possit intueri.

Et apparet, primas imagines pictas aut fictas
 esse, solatio viuorum de mortuis, aut absentibus
 amicis suis.

Christus igitur discedens à suis in Caelū, Ma
 trem suam ipsis reliquit, aliquod absentiae suae so
 latium; illustrem sui vultus imaginem, & morum
 suorum sanctissimorum viuum simulacrum.

D. August. in illud Ioannis 19. Stabat iuxta crucem. Migraturus ex hoc mundo Dominus ita ordinavit, ut utraque Ecclesia portio Triumphans videlicet, & Militans visibili & invisibili solatio frueretur per ipsam. Ascendens enim in cælum, sanctis animabus & Angelis suam Diuinitatem & Humanitatem perpetuo contemplandam exhibuit, ut siue ingrederentur, siue egrederentur, pastua inuenirent. Ecclesiæ verò adhuc in terrâ Militanti solatium quidem invisibile (al. visibile) promisit, quod in die Pentecostes impleuit, quando ipsum, consolatorem cordibus fidelium immisit. Solutium verò visibile, quod de corporali eius presentia habebant, fidelibus suis subtrahere iam voluit. Et idcirco matrem Ecclesiæ consolatricem vice sui dereliquit, ut dum beati Angeli in cælis aspicerent illum hominem, fideles in terris intuerentur cum gaudio eiusdem hominis veram matrem.

D. Bernard. super illud Stabat iuxta crucem: Verè magnum hoc erat hominibus solatium, videre matrem in terra, cuius filius dominaretur in cælo.

Christus in persona quidem abierat, sed in figura, & pictura quadam sui viua in sua matre apud suos remanserant, in qua, tamquam viua imagine, tota eius Virtus, Humilitas, Benignitas, effigiata fuit, in qua gratiarum eius & diuinorum munerum exuberantia mirifice refulsit, ut quidam priscus pater ait.

Obses quodam modo data pro Christo Maria. Ablactatos à suo lacte lactauit lacte ferè pari, & tempore illi, & ipsis auulsis ab vberibus consolationis eius, conuenientissimo, ut aspicientes Dei matrem sacratam presentem in terris: & ipsum videretur quasi adhuc conspiceret cum hominibus conuersantem.

Qui

Qui vtrumuis rectè nôrit, ambos nouerit. Tere
in prol. Andriæ,

Quàm iucundum superstitem intueri, mul
mundi reformati formosissimam, sicut filius
fuerat speciosius formâ præ filijs hominum! imò ma
rem Eua ipsa formosior!

Eam, quam nemo non Christianorum prin
tiuorum videre cupiebat!

Si licitum est mihi apud te, ad Ierosolyma partem
volo ascendere, & videre sanctos qui ibi sunt, præcipue
Mariam Iesu, quam dicunt vniuersis admirandam
cunctis desiderabilem, ait S. Ignatius martyr, ep. ad
S. Ioan.

Eam, ad quam Dionysius Areopagita iam
baptizatus venit, cum alijs plerisque, visendi stu
dio: de qua conspecta, cum non tam formam cor
poris (quæ tamen mirabilis erat) quàm morum
sanctitatem, & diuinum quemdam fulgorem, in
ea spectauisset, illud dixisse fertur, exclamans
Nisi se fides iam docuisset, ipseq; diuinitatem Christi
docente Paulo cognouisset, eam pro Deo sibi futuram
fuisse. Dionysius Carthusianus in commentarijs
libri de diuinis nominibus cap. 3. art. 16.

Est autor non malus, qui scribat, fuisse Eremi
tam, qui cum audisset ab Angelo, maiore deuo
tione ardescere eos qui Mariam intuerentur; ve
nerit, anno post Ascensionem Christi septimo, ad
montem Sion, vbi illa habitabat, eius visendæ stu
dio; eaque conspecta, præ gaudij magnitudine
stare non potuerit, sed in terram corruerit, ac di
xerit his ferè verbis: *Quid mihi est in cælo, & quid
quid volui super terram? Aliud cælorum regnum non*

optem, sed tantum, mihi vt liceat perpetuò hanc intue-
ri: Nicol. Polonus Decretorum Doctor, ser. I. de
Assumptione, parte I.

D. Bonaventura in speculo B. Mariæ. *Glorio-
sum gloriae Mariæ priuilegium est, quòd quidquid post
Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius
in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam
est.*

* ij. *Ad confirmandos Apostolos, inter aduersa
extrinseca,*

Multa passuri erant noui isti Ecclesiæ archite-
cti, ac fundatores.

Nusquam tuti futuri à calumnijs, ab iniurijs, à
flagellis, ab exilijs, à mortibus &c.

Capitale enim tunc erat esse Christianum, vt
nunc fortilegum esse.

Quidam lapidati, quidam secti, quidam ob-
truncati, vt Iacobus ab Herode, quidam flagella-
ti &c.

In ipsos, vt in canes rabidos, omnes armaban-
tur.

*Omnis qui interficiebat eos aut vexabat, arbitra-
batur se obsequium prestare Deo, vt à Christo dudum
prædictum fuerat.*

1. *Esdræ 4.* Sicut quondam H. ebræis Babylone
reuersis, & molientibus templum Domini euer-
sum instaurare, à finitimis & vicinis plerisque o-
mnibus multæ grauissimæque ad tempus incu-
buere molestiæ, ne facerent: adeò vt nonnunquã
coacti sint vna manu trullam, altera gladium ge-
rere, trullam ædificationi, gladium defensionis ac
præsidio: ita Apostolis Ecclesiam Christi, & tem-
plum

plum hoc, ex viuis & electis lapidibus surgens, ad tollere conantibus, nemo non obstitit, ex Iudæis, Pontifices, Scribæ, Pharisei &c. ex Gentilibus Reges, Philosophi &c.

Vnà Eurufq; Notufq; ruunt, creberq; procellis Africus, & vastos voluunt ad litora fluctus. i. Aeneid.

Opus illis fuit auxilio, solatio, & consilio magno.

Huc ergo Maria relicta est, adiutrix, confortatrix, & consultrix futura.

Nouellis plantis, & nondum satis in sua rectitudine firmatis arbusculis, contra vim ventorum, eiusmodi fulcro opus fuit.

Maria asylum, & velut ara quædam afflictorum Apostolorum & credentium.

Penes eam inueniebant Consilij, Solatij, Auxilijque copiam; quin ea etiam efficaciter apud Deum pro ipsis intercedebat.

Iuuabat Apostolos vehementer, eiusmodi solacia pœnarum.

Vt eiulantibus ijs, qui cum Phocione (Debone, quanto viro) morte erant mulctandi, dixisse fertur ipse Phocion: *An non ô Thudippe, pulcrum tibi ducis, cum Phocione mori?* ita vacillantibus fortè Apostolis, aut fidei nouitijs, poterat Maria dicere, aut etiam sic sibi quisque intus occinere; *An pulcrum vobis ducitis, cum Maria, cum Domino Deo vestri matre mori, & pati?* Aelianus li. 13. variae hyst. c. 40.

Iuuabat etiam eos, atque animabat, inuicta serminæ patientia; & subpudisset, paria non possent.

aut nolle ferre, & pati.

Penthesilea volans medijs in milibus ardet. Virg.
2. Aeneid.

Nemini enim dubium esse potest, quin Phari-
sæi, scribæ &c. pro suo plus quam Vatiniano in
eius filium odio, nondum morte eius exsaturato,
variè Mariam Virginem infamarint, obprobra-
rint, impropertarint; forsitan Seductoris, Pseudo-
prophetæ, fusciferi, & nebulonis cruciarij matrem
eam appellantes.

Certè Hieronymus de Sancta fide è Iudæo
Christianus, lib. 2. aduersus Thalmudistas, sic scri-
bit de Iudæis. *De genetrice Saluatoris mundi. Primum
illam pollutam appellant mundi, alij publicam meretri-
cem: Apostolos & Christi Martyres, Lenones: sanctas
verò meretrices &c.*

D. Ignatius ep. 1. ad B. Ioann. Euang. *Mirum:
ab omnibus magnificatur (Maria) cum à Scribis & Pha-
risæis ei detrahatur.*

Laudatur ab his, culpatur ab illis, Horat. lib. 1. ser.
Satyra 2.

Quid interim illa? Tàm patiens eorum om-
nium, vt eos narraffe fabellam a sino furdo putaf-
ses.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet. Ouid.
lib. Fast.

D. Ignatius ib. *Quidam notificauère, eandem
Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, &
omnium virtutum, more virginis, virtutis & gratiæ
fœcundam, quæ (vt dicunt) in persecutionibus & affli-
ctionibus est hilaris, in penurijs & indigentijs non que-
rula, iniuriantibus grata, & modesta in re lata &c.*

N

Vt

Vt iuxta crucem filij sui steterat olim inuidiosa; sic tunc quoque in ipsis suis crucibus stabat vt Marpesia cautes; cuius fortitudinis ac patientiæ exemplo, Apostoli ad paria excitabantur.

Vt olim arca fœderis in castra producta, Israelitarum animos mirè confirmabat, sic hæc vincta Dei arca, in medio Ecclesiæ militantis relicta, mirè tirones Christi animabat ad fortia, ad tolerantiam durorum, ad patientiam aduersorum, adque iniuriarum &c.

*Ferre, quam sortem patiatur illa,
Nemo recusat.*

* *ij. Ad obseruandum familiæ regimen, absente Domino.*

Sunt certè plerique *ad oculum seruientes* (vt loquitur Paulus.) Sunt castæ quædã, & modestæ matronæ; sed maritis præsentibus. Sunt discipuli in libris, & piscibus ac Pythagoræis ipsis taciturniores; sed quâdiu Ludimagister in schola versantur.

Excesserint autè vno vix pede, aut tergum viderint, Domini, Mariti, Præceptores, non facit absentia vitia, sed detegit.

Omnia insolentijs & clamoribus tunc obprobriantur.

Itaque ab eiusmodi ingenijs vix abesse est, vel lato vngue, aut si abesse est, expedit vicarios & custodes dari, obseruatores, adnotatores, Censores ac monitores.

Epicuri sensu, *aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus: vt sic tanquàm illo spectante viuamus, & omnia, tanquàm illo vidente, faciamus.*

mus. Hoc mihi, Lucili, Epicurus praecepit, custodem nobis ac Pædagogum dedit. Nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius autoritate etiã secretum suum sanctius faciat. Senec. ep. ii. lib. i.

Itã angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te, & obseruent in omnibus vijs tuis. psal 90.

Sed quia id aliquandò non satis prodest, etiã visibilis pædagogus adhibendus, non animo duntaxat fingendus.

Christus igitur Matrem suam, quasi custodem, & quendam pædagogum, obseruandis tenelli sui gregis actionibus, cuius vel fortissimi quiq̃ue, & quasi arietes, satis infirmiter se in eius Passione gesserant, vt vel præsentia eius ab improbitatibus deterrentur ante lapsum, & post lapsum, ab eadem officij monerentur, erigerentur, &c.

Maria Virgo fuit Ecclesiã, quod regno Gallie Regina mater, absente Rege.

Pueris nobis, multum poterat vxor Ludimagistri nostri, in Houdano illo nostro Cæsarimontano, quam Dominam vulgò vocabamus.

Verba hæc: *Domina dixit, Domina iussit, Domina nos videt, Domina nos audit, Domina non feret, Domina deferet, &c.* sæpenumerò mei similes in officio continuerunt.

Quidni & Apostolorum, nouitiorumq̃; Christi discipulorum collegium, absente Magistro Christo, Domina tam reuerenda relicta potuerit facere vigilantius ac religiosius?

Vt officij exactores seu Obseruatores, Officiales ac Magistratus ministros yetãt ab officio deuiare.

Vt pueros pædagogus, & custos perpetuus, in officio continet;

Vt oculus Domini impinguat equum, sic haud dubiè vix dùm benè natæ Ecclesiæ Christi profuerunt credentesque omnes fecit cautiores, ac rectiores, & uariantiores, Maria ipsis relicta obseruatrix, officiosa exactrix, & (vt sic dicam) pædago-ga.

Christus plantauit, Maria rigauit.

Discite hinc, Patres, aut ipsi adesse liberis ostendite, aut dignos dare Patrem suum Horatius laudat, quòd quum, ob fortunæ tenuitatem, pædagogum ipsi alere nò posset, ipse pædagogum munere fungeretur.

Horat. lib. i. serm. sat. 6. si & viuocarus amicus

Causa fuit pater &c.

*Qui puerum est ausus Romam portare docendum
Artem &c.*

*Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. quid multa? pudicum,
Qui primus virtutis honos seruauit ab omni
Non solum factò, verum opprobrio quoq; turpi.*

ob hoc, nunc

Laus illi debetur, & à me gratia maior.

Digna est lo, quam Argus centoculus custodiat.

Discite pariter, & ipsis consolatores dare, vt Christus Mariam suæ Ecclesiæ.

*iiii. Ad erudiendos Apostolos

1. Plenius,

2. Perfectius,

3. Credibilius.

D. Anselm. lib. de excellentia Virg. c. 7. Et utilis, & necessaria nostræ fidei conuersatio beata Virginiæ

ginis post Ascensionem Domini, inter Apostolos eius, quia licet ipsi per reuelationem Spiritus Sancti edocti in omnem fuerint veritatem; incomparabiliter tamen eminentius ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat: & per hoc multa eis per hanc reuelabatur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat, de mysteriis eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

D. Hieronymus, aut quisquis est autor serm. de Assump. apud Hierony.

Vulgò dicitur; *Experientia superat scientiam.*

Ipsa experta multa fuerat, viderat, audierat, Christi, & de Christo, quæ alius nemo.

— quæq; ipse miserrima vidi,

Et quorum pars magna fui, ait ille apud Virg. 2. Aeneid.

De modo concipiendi, gestandi, pariendi, viuendi, ab incunabilis, tota infantia, pueritia, adolescentia Christi, denique & moriendi, poterat ea sola plenissimè perfectissimeque dicere.

Credibiliusque omnia poterat docere, vt testis oculata.

Pluris est oculatus testis, quam auriti decem. Plaut.

De Mariâ, post Pastorum visitationem ad præsepe, dicitur Luc. 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

Item Luc. 2. post Christum inuentum in templo, in medio Doctorum; *Et Mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo, id est memoriæ mandabat, & recondebat olim promenda.*

Beda in illud Luc. 2. Maria conseruabathæ.
Seruabat tempori opportuno reuelanda.

Erat proma-conda.

Erat Archiuum omnium antiquitatum, no-
tàm Iudaicarum, quàm Christianarum, & reru
omnium memorabilium.

Erat Apostolis, quod nobis Calepinus, & Ca-
tholicon &c.

Erat ipsis Lexicon Theologicum, & Iuris
niuersi.

Erat animata Bibliotheca, instructior certè
quàm illa Romanorum Vaticana.

Erat armarium scripturarum.

Erat Oraculum Christianorum, Delphico sã-
ctius, clarius, ac veracius.

Sap. 8. *Doctrix est disciplina Dei.*

Erat nouitijs credentibus in dubijs eorũ, quo-
rum tironibus in scholis, *ad pœnam libri*, ad eam
eiusque responsa erat vltima prouocatio.

*Stupebant omnes qui eam audiebant, super pruden-
tia & responsis eius.* Luc. 2.

Alex. Hallensi nostro erat irrefragabilior D-
ua illa.

Ut Pythagoræis, ratione ac probatione desti-
tutis, satis erat dicere solemne illud: *Ipse dixit*: sic
tunc illis, *ipsa dixit*, aut ita respondit, ac soluit Ma-
ria.

Quæstionum ac dubiorum iudex erat vltima

Herculis cuiusdam instar, Hæreseon expul-
trix & monstrorum domitrix fuit.

Cunetas hæreses sola interemisti, ait Eccle-
sia.

Rupertus lib. 1. comment. in Cantica. *Christo assumpto illam alios docuisse ait, factam Magistrorum Magistram.*

Idem lib. 2. de gloria & honore Filij Dei duo tēpora Virgini prudenter sciteque distinxit, vnum, quo muta conticuit; alterum, quo voces edidit salutare. Tacuit ferè quamdiu Christus vixit in terris, cū *conseruabat & conferebat in corde suo omnia diuina verba*, & erat hortus verè conclusus, & fons signatus. Loquuta est post abitum Christi quo tempore (ait idem) erant *emissiones eius paradisi, & fauus distillans labia eius.*

D. Ignatius ep. 1. ad Ioan. Euang. *Nostre, inquit, noua religionis & pœnitentiæ est magistra.*

F. Ioan. Annius Viterbiensis Theol. proœmio in primum librum Philonis de temporibus. *Lucas Euangelium (vt aiunt) dictante B. Virgine, progeniei Christi eruditissima, & approbante Paulo Apostolo, & dicente: Cuius laus est in Euāgelio per omnes Ecclesias, conscripsit.*

Itaque à secretis Mariæ dictus est, multa que de Angelico nuntio & colloquio cum ipsa, de cōsensu, de conceptu, de partu &c. latius scripsit, quàm alij.

Iohannem quoq; Euang. vt Salomes cōsobring eius filium, vt custodem eius perpetuum, & filium eius adoptiuum, & diuturnū in mōte Sion in domo matris cohabitatozem plura sublimioraq; de Christi Diuinitate ab eadem edoctum Sacramēta scripsisse testatur sublime illud & aquiliferum Euangelium, *In principio erat Verbum &c.*

Vt rectè Plinius lib. 17. c. 5. Homerum ad-

pellat fontem ingeniorum: & lib. 25. c. 2. primum de
 Strinarum & antiquitatis parētem, Grego. Nazian.
 Origenē cotem omnium nostrum; eximius Magister
 noster piæ memoriæ Balduinus Rythouius Dux
 publicè me Auditor Alexandrum Halensē
 Franciscanum fontem & originem omnium Theolo-
 gorum appellauit; D. Thomas Aquinas eundem
 præcipuè Theologiæ candidato commendauit
 referente Gersonē ep. quadam Lugdunum missi
 ad quemdam F. Minorem: sic Mariam Virginem
 Theologiæ totius Christianæ primiceriam vo-
 ces fontem hortorum, *fluum illum qui egredie-
 batur de loco voluptatis ad irrigandum par adsum, qui
 inde diuiditur in quatuor capita.* Gen. 2.

Si non arassetis in vitula mea (aiebat Samson
 Philistæis, qui à sua Dalila solutionem sui enig-
 matis hauserant) *non inuenissetis propositionem meam.*
 Iudicum 14.

Ferè hoc ipsum ingeri possit Apostolis.

Ex Mariæ officina Sacramentorum Incarna-
 tionis Christi cognitio de fluxit, vt Mæotis ex O-
 ceano, ex Meotide Pontus, ex Ponto Hellepon-
 tus, Pelagus ex Helleponto.

Memini alicubi lectum à Palatone veteri ple-
 store, Homerum sic in tabula pictum, vt vomere
 videretur; omnes verò Poetas circumquaque ad-
 fluentes, sic vt eius vomitum pro virili colligere ac
 resorbere viderentur, quem postea quasi suum e-
 uomerent, id est, posteros omnes quidquid dice-
 rent aut scriberent ab vno Homero hausisse.

Dicamus & nos Theologos omnes principia
 dicendi ab hac Maria hausisse. Fidei nostræ mater
 fuit, vti & Abraham pater. Vel

Vel nigri illius Memnonis Melanctonis inquam senſo, *Conſilijſ ſuis rexir Apoſtoloſ,*

Vultis dicam vno verbo. Ipla eſt Chriſtiano- rum Minerua & diuinæ præſeſ Sapientia. Et certè *Maria* quibuſdam idem eſt quod *illuminatrix.*

* *Sed contra. Mulieri in Eccleſia docere non permit- to,* ait Apoſtoluſ.

D. Hieronym. ep. ad Paulinum. *Alij diſcunt, pro pudor! à foeminis, quod viroſ doceant.*

* *Deinde,* Apoſtoli omneſ repleti fuerant Spi- ritu. ſancto, die Pentecoſteſ.

* *Reſpondeo.* Non docuiſſe eã in Eccleſia è ſug- geſtu, ſed priuatim dumtaxat.

* *Deinde,* Mariam fuiſſe pluſ quàm foeminam.

* *Item,* Apoſtoloſ plenoſ fuiſſe, ſed Mariam ſuperplenam ſuperueniente totieſ in eam Spiritu- Sancto.

* *v. Præluceſdum exempliſ vitæ.*

Egria quidem iam morum documenta eiſ dederat Chriſtuſ, exempliſque præierat, ſed quan- tillo tempore, Triennio, paulò ampliuſ. Nam re- liquo tempore priuatuſ domi, & ignotuſ vixerat, pedeſtri philoſophia contentuſ.

Maria ergò illo abeunte diutiùſ ſuperſteſ reli- cta, vt eiſ vitam moreſque optimoſ diutiùſ in- tuerentur, atque imitarentur.

Chriſtuſ plantauit, Maria rigauit.

Foemina in exèplum relicta, vt puderet viroſ non præſtare, quod foemina.

Foemina, vt ſexuſ foemineuſ ad normam Euã- gelij vitam agendæ, doceret, Euangelio non impoſ- ſibilia præcipi, ſed perfectæ.

Relicta Maria in speculum perfectionis, in magnum speculum exemplorum, in Catechismum historiam, ac flores exemplorum, (vt sic dicam) non quæ legerentur tantum, sed quæ oculis cernerentur, utilitate sentirentur.

Longum iter per verba, breue & compendiosum per exempla, non tam ea, quæ à Valerij Maximo, Sabellicis, à Fulgosis, ab Ignatijs, à M.M. Martij, cæterisque illis Exemplorum confarcinatoribus narrantur, sed quæ spectantur, dum geruntur, proximè à magnis autoribus.

Primus ardor discendi, nobilitas est Magistri.
Ambr.

Maria autem quid sanctiùs? Contra vitiorum pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit, ait Ignatius martyr, ep. 1. ad Ioann. Euang.

Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Iesu hinc mane naturæ naturæ sanctitatis Angelica sociatur.
Ibidem.

Ibidem vocat eam cæleste prodigium, & sanctissimum spectaculum: D. verò Ambrosius formam disciplinæ, normam virtutum, totius figuram probitatis.

Nihil illa benignius, aut miseris succurrere paratius.

Idem Ignatius ibid. *Miseris & afflictis condolens, coafflicta, & subuenire non pigrescit.*

Quis neget? cum in nuptijs, etiàm non rogatum vinum à Filio impetrarit, & pudori Coniugum succurrerit? Ioan. 2.

Nihil illa patientius, aut fortius.

Idem ibid. *In persecutionibus est hilaris, in pen-*

uis & indigentis non querula, iniuriantibus grata, & modesta in re lata.

Nihil humilium.

Idem ibid. *Apud fideles, omnium operum pietatis ministra, humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotius humiliatur, quæ scilicet iam olim ad pregnantem Elisabetham spontè venisset, seruisset.*

Luc. 1.

Scribentibus ad se rescribebat, vt B. Ignatio.

Florentia certè & Messana Italiæ ciuitates, se literas aliquas ab ipsa habere gloriatur.

Cætera facilitas Mariæ, rescripsisse ad eas vrbes persuadet, si eam primæ literis fortè salutarunt.

Nihil grauius nihilominus hac eadem Virgine.

Aelianus variæ historiæ lib. 13. c. 1 sic de Atalânta: *Duo, quæ stuporem hominibus inferrent, habebat. singularem venustatem, & quoddam terrorem inijcere videntibus poterat. Nemo sanè timidus aut dissolutus homo, cum eam aspexisset, amare potuit, imò ne obtueri quidem à principio. Tantus splendor cum forma coniunctus insipientium oculos perstringebat: stupendam eam in congressibus tum alia, tum præsertim varietas efficiebat.*

At in Maria Virgine, omnia potiora. Ea enim *benedicta in mulieribus.*

Nihil religiosius, aut peregrinationibus religionis ergò susceptis addictius, vt fasciculus myrrhæ Passionis Filij iugiter inter vbera eius commoraretur. *Cantic.*

Crebrò enim dicitur, & religiosissimè, sancta loca adisse, ac visitasse.

Caluariæ montem funestissimum, in quo via nostra pependerat, ascēdebat, rupem, in quā crucifixā, sanguinē adhūc penē calido fumantem deculatura.

Indè, ad S. Sepulcrum descendebat; Sepulcrum (inquam) illud Domini & Dei nostri, cuius iam conspectum, prò pudor! hostes Christi iuratissimi nobis magno vendunt, quod ferro redempti iam pridem potuimus, ac debuissimus, nisi fractis quisq; suum opprimere, quàm Turcam reprimere, maluissimus. A, a, a!

Indè, ad montem Oliuarum, vndè Cœlum cōscenderat, vt eius vestigia solo impressa osculis veneraretur, ac centies ferè talia ingeminaret;

*Dulces exuuiæ, dùm fata Deusq; sinebant,
Accipite hanc animam, meq; his exsoluite curis.
Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi.
Et nunc magna mei per terras ibit imago.*

Virgil. 4. Aeneid.

Nec desunt, qui proximum Domini sepulcrum domicilium eam elegisse arbitrentur, vt sacra illa loca commodiùs frequentaret, quia iuxta Caluariæ montem Domini sepulcrum fuisse constat Hierony. aut Sophronius, aut quouis apud Hieron. *Sermo de Assumpt. Virginis.*

* vj. *Roborandam fidem.* Vt vulnera illa quinq; solenniora reseruata, vt eorum adpectu ac fortè etiàm contactu, Thomas, futurus dubius Resurrectionis Dominicæ, atque obstinatè incredulus, nisi videret & tangeret, sanaretur; ità futuris hæresibus, contrà veritatem carnis Christi, curandis visu, tactuq; Matris ipsius defuncti, & colloquio cum

cum ipsa, Maria superstes relicta est.

Nascituri enim certè erant Marcionistæ, Valentiniani, & Cerdonitæ, qui dicerent, Christum corpus aëreum, phantasticum, ex elementis, non de matre sumpsisse, &c. De quibus vide nostrum Alphonsum à Castro, arcem illam inexpugnabilem, cum mille clypei pendeant ex ea, lib. 1. aduersus hæreses, verbo Christus, hæresi 2.

Reuinci autem eos ab Apostolis oportuit. Nàm nisi verus fuisset homo, non moreretur homo. Si non moreretur homo, non redimeretur homo.

Nulla verò reuincendi via commodior, quàm obiecta mater spectanda, tangenda, alloquenda, vrgenda, &c. Qualis mater, talis filius.

Amuletum ergò iam tùm atque antidotum eius morbis præuisis parabatur.

Iàm tùm in cunis vagiens, imò nondùm nata hæresis præiugulabatur, aut potius gladius iugulandæ cudebatur.

* 2. Virginis { 1. Ad assuefaciendos iam tùm populos
quoq; ipsius } eius inuocationi,
bonū; nem } 2. Ad augenda eius merita,
pè, } 3. Ad gloriam in Assumptione maiorem.

* j. Ad assuefaciendos iam tùm populos eius inuocationi.

Multoties Apostolos periculis eruit, potenti sua prece, haud dubiè.

Confilia, ac solutiones dubiorum, ex alto ipsis impetrauit, quis neget?

Matrem piam, ac patronam miserorum omnes experiebantur.

Quandoquidem toti Ecclesiæ, in persona vni-

us Ioannis, Christus è cruce dixerat, *Ecce mater tua*, & Matri de toto grege Ecclesiæ, *Ecce filius tuus*. ipsam aliquamdiù oportebat in terris gerere bonam matrem erga filios, & ipsos vicissim filiorum bonorum officijs ritè fungi, eam reuerendo, obediendo, sub alis eius ac patrocinio acquiescendo &c.

Gessit ergò illa haud dubiè crebrò & in multis matrem dulcissimam omnium maximè afflictorum.

Nemo ab eâ tristis, desertus, aut consilij, vel auxilij expers abscessit.

Visa igitur tã sæpè propensissima eius pietate, & benignitate in afflictos, ac precum potentia pro miseris, sensim eius inuocationi rebus aduersis adfuescebāt Christiani, manuq; ducebātur, ad eam, quasi sacrā anchoram rebus perplexis, amplexandā, eamq; inuocādā, vt patronam expositissimā, omnibus paratissimam, & potentissimam.

** ij. Ad augenda eius merita.*

Quorum enim in statu gratiæ viuentium longior vita, pluraq; & meliora sunt opera, horum sunt & merita vberiora.

Quot ergò aduersis exercita & victrix fuit Mariæ patientia, tot meritis & coronis auctior fuit.

Quot miseris succurrit, consilio, solatio, ministerio, intercessione &c. tot nouas coronas ipsa sibi fabricauit.

Quot ignaros docuit, errantes in viam rectam reduxit, tot gradibus celsitudinē suā in cælis auxit.

Daniel. 12. *Qui ad Iustitiam erudiūt multos, quasi stella in perpetuas aternitates.*

Eccl. 34. *Qui elucidant me, vitam eternā habebūt.*

1. Timoth. 5. *Qui benè præsumt Presbyteri, duplici honore digni habeantur : maximè qui laborant in verbo, & doctrinâ.*

Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum.*

1. Tim. 4. *Hoc faciens, te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.*

Tam multis quoque coronis augemur, quàm multos virtutum exemplis ad Deū conuertimus.

At quàm multos (putatis) Maria Virgo verbo exemploq; conuertit? maximè cum planè cōtrariam vim pulcritudini Helenæ, illius hospitiæ famosæ, pulchritudo Mariæ habuerit?

Nam, vt vix quisquam, quâlibet pudicus, Helenam, Lacænam illam Spartæ suæ dedecorem, spectare castè potuit, & abire non captus eius impuro amore; sic contrà, nemo, quamlibet amore ardens & inflammatus libidine, Mariam Virginè (vt vt esset decem Helenis formosior) spectauit, cui non ignis suus mòx lentelceret.

O, quàm te memorem, Virgo! namq; haud tibi vultus

Mortalis, nec vox hominem sonat: ô Dea penè.*

Virg. 1. Aeneid. *al. certè.

Vt Proceres & Sapientes Troianorum vno ore dicebant, Helenam esse fugiendam:

— ipsa

A nobis procul hinc, quamuis sit pulcra, recedat:

Ne præsens nobis, nostrisue nepotibus, obsit, apud Homerum:

Sed

Sed nec eam, nisi auertentes vultus, & ter-
vertentes, euaserunt; Sic contra in Mariæ vultu
intueri fuit maximè salutare spectantibus, & e-
cacissimum (vt sic dicam) remedium amoris.

Quod serpens æneus erectus in deserto, &
ctatoribus suis ignitis serpentum moribus la-
ac alioqui iam iam moriturus fuit; hoc amore
infanientibus erat virginis Mariæ spectata pe-
chritudo. Quos aliarum facies spectatæ vultu
rassent, ista inspectata sanabat.

*Sicut fluit cera à facie ignis, sic peccatores à fa-
eius.*

Dicendum potius fuisset amore ardentibus
Ostende nobis faciem tuam, & salui erimus.

De Atalantæ facie aliquid ferè tale superius
memorabam ex Aeliano.

*Periculi à vultu Helena meminit Aristot. lib. 2. Ethic. c. vlt. seu 9. item Albertus commentarijs in 2. Ethic. Eustratius quoque comment. in eum locum, referre-
lixè versus Homericos.*

Vt oculis colligendis prodest viror hortor
sic oculis animisq̄ue parum castis corrigendis pro-
derat spectatus Mariæ vultus.

Vt auis quædam nomine Galgalus (gallicè
riot) cum spectatur ab eò qui regio morbo libe-
rat, eundem morbo liberare dicitur, suo tamen
extremo malo (moritur enim, dum viuificat, au-
illa, vnde, & qui venalem proponunt, eam fru-
diosè solent operire) sic Virgo Maria, cæco libe-
nis igni tabescentes qui se spectarent, dicitur
(nullo tamen suo malo aut periculo) sanari
se.

R. P. F. Cornel. Mussus Ep. Bitontinus Franciscanus, in eo probando multus est, sermone de Assumptione Virg. parte 3. item quidam Michael Lochmair Doctor Theologia, quodam sermone.

Et hoc quoque modo benè mereri apud Deum potuit Virgo Maria.

* Denique; vel hoc solo merita meritis adgerabat, quòd cupidissima moriendi, tamen, aliter volente Deo viueret, patientissimè ac libentissimè, vt pareret diuinæ voluntati, ductilis ac flexilis ad omnia instar ceræ mollissimæ.

Gratissimum enim Deo sacrificium est, verè dicere, *Fiat voluntas tua.*

Non vltima portio meriti Christi fuit, eoratio, qua dixit: *veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Et ista Martini: *Si adhuc sum populo tuo necessarius, non recuso laborem.*

Melior est obedientia, quàm victima. i. Regg.

Sequere Deum.

Maiori cede,

Cede Deo,

Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Act.

Fata volentem ducunt, nolentem trahunt. Senec.

Sive viuimus, Domino viuimus; sive morimur, Domino morimur, &c. aiebat semper Maria ipso facto, qua vna re, magnam apud Deum gratiam inueniebat.

Non potest, qui multorum cum utilitate vixit, digna morte cadere, nisi plurimorum cum fructu & vsu etiam moriatur. ait Musonius.

* iij. *Ad gloriam in Assumptione maiorem.*

○

* Prae

* *Præiuit*, enim Filius, quasi Præcursor, parat locum, cæli valvas iam pridem clausas aperire, & cætes ferreos confringere.

* *Deindè*; seriùs morienti, & post se assumptum occurrere potuit, qui ergà ascendentem secum, potuisset aliud, quàm eam cum cæteris comitari.

* *Rursus*; si Maria comes filio ascendisset; obscurior multò & ignotior processisset, oculis omnium scilicèt tunc maximè in Iesum Christum triumphatorem, Dominum, ac Regem suum, conuersis. In Mariam vix pauci & obiter oculos conuertissent.

Maius lumen obfuscatur minus. Sole autem præcedente, Luna & stellæ reconduntur.

Malo (aciebat ille) hic primus, quàm Romæ secundus.

* *Denique*; ascendens cum reliqua illa captiuitate, quam tunc captiuam duxit Christus, potest & ipsa videri, credique vna ex captiuis inter cæterorum: assumpta autem alio tempore, proprio triumpho, & omnium oculos ad se traxit, & si redemptrix aut affertrix, certè aliud & nobilitate multò, quàm captiua, adparuit.

Ergò hæ ferè causæ mortis eius tam diu dilata.

Nunc ad eius discessum veniamus.

I I.

An mortua sit, & quibus priuilegijs mors eius disse-
rens fuerit à morte omnium
nostrum.

Tandem, tandem à nobis ad Superos Maria
Mater-Virgo emigravit.

An verò etiã mortua? inquiet aliquis: Et hoc parabam dicere.

Varię sententię } 1. Non mortuam,
de exitu Ma } 2. Mortuam martyrio,
rię: quidã aiūt } 3. Mortuam simpliciter, non violentè.

* 1. Non mortuam, Collyridiani putarunt eam instar Dei penitus expertem mortis fuisse.

Ratio, quòd putarint humanæ naturæ confor-
tem eam non fuisse, sed diuinæ: cœlestem atque
Angelicam totam, neque ex hoc mortalium luto
concretam.

Manichæi quoque & Valentiniani, Virginem
Angelo maiorem, ideoque non mortalem auda-
cter asserebant; itaque filium non veram humanã
naturam ex ea assumpsisse, sed fictam. Vide I horn. 3.
sent. dist. 4. §. 2.

Ratio alia esse possit, quoniam immunis fuerit
à quocunq; peccato, causa, sine qua non morièdi.

Raptam fortè volunt viuam, vt Enos, quem
tulit Deus. *Genes.*

Raptam viuã, vt Elias, currũ igneo. *4. Regg. 2.*

Raptam viuam, vt Ganymedes Trois filius,
quem fingunt iussu Iouis cum depereuntis, in mō-
te Ida venantem, raptum ab Aquila Iouis alite, e-
latumq; in cœlum iam illi à poculis factum.

Adscribunt sc. fortassis Mariæ rapti Ganymedis
honores. *Virg. 1. Aeneid.*

Raptam viuam ac vestitam instar Romuli, quẽ
quum exercitum apud Caprea paludem lustraret, nun-
quam deinceps comparentem, Iulius Troculus vir na-
bilis seditione inde orta inter Patres & populum, in
concionem procedens, iurando firmavit, à se in colle

Quirinali visum augustiore formâ, quum ad Deos abiret, cuius auctoritati est creditum, ipseq; Romulus Deo cultus, & Quirinalis est adpellatus. Plinius lib. vi. de viris illustribus cap. 2. de Romulo Romano Rege primo.

Epiph. lib. 3. cont. hæreses, hæres. 78. tomo 2. contra Antidic. videtur esse eius opinionis, vt nec immortalis mansisse, nec mortuam audeat asserere.

Reijcit hoc Ecclesia, vt merum delirium, in oratione Missæ dñi huius, dicens: *quam etsi, pro conditione carnis, migrasse cognoscimus, &c.*

Idem Epiphanius copiosius refutat in Panario, hæresi 79.

Si verò contra Antidicomarianitas hæres. 78. qui sanctissimæ Dei Genetricis virginitatem infamarent, eò excellētia illam efferre conatus esset, vt sicut Enoch vel Elias olim translati, sic videtur voluisse ipsam absque obitu è terrenis celestia assumtam esse; quamuis nihil affirmare solus rem dubiam reliquerit, vtrum mortua, vel non mortua; & an sepulta, aut non sepulta fuerit; dicimus ibi hoc excessu ysum, quò magis illorù prociaciam retunderet.

Ad aliud extremum rem deflexit, vt ad medium reduceret, vt solent ij facere, qui ligna obliqua ad rectitudinem redigunt, & qui iniquum pretium poscunt, vt iustum obtineant.

Mariæ Virgini Catholici nihil falsò volunt arrogari, quamlibet id honorem & gloriam sonet, vt nec ipsi Christo.

Ioh. Cassianus lib. de Incarnatione Domini. Non minoris erroris est, Domino iesu (& Domine)

impropria addere, quàm propria derogare. Quidquid enim de illo (& illa) non ità dicitur vt est, etiàm si honor videatur, iniuria est.

Et alicubi, commentarijs in Leuiticum, Magnus ille Tostatus, securis commentatorum scripturæ, inuehitur in illos, qui Mariam matrem Christi nituntur honorare per mendacium, alienando eam à natura humana: nam si hoc volunt, non faciunt eam fœminam, sed spiritum separatum, qui nullis harum passionibus subiicitur. Vel si eam veram fœminã voluerint, sicut poni necesse est, non metuant confiteri in ea, quidquid est de conditione generali hominum, quod ad peccatum & ignorantiam non pertinet. . . . Cum autem contrarium faciunt, putant se honorare virginem, & ei iniuriam faciunt. . . . Multum Virgini derogant, tollentes aliquid de vera maternitate, & tantùm poterit quis eam ab his passionibus naturalibus immunem facere, quòd non solum non dicitur vera mater Christi, sed neque vera mulier. Hæc ille quæst. 19. in Leuit. 12.

Nec amat mater veritatis aliud, quàm veritatem.

Mortuam ergò Catholica Ecclesia ingenuè confitetur.

* j. Quia homo nata erat.

D. Ioann. Damasc. serm. de dormitione Dei- paræ, apud Aloysium tomo 6. in vitis Sanctorum. Cedit legi latae ab eo, quem genuit, & vt filia veteris Adam, veterem sententiam subiit: (nam & eius filius, qui est vita ipsa, eam non recusauit.)

* ij. Quia de ligno illo vitæ paradisi, vitarum restauratore non gustarat.

* iij. Quia natura humanæ in se veritatem testatum oportuit, vnde & filij humanitas testari esse posset hæreticis futuris, & de Christi veritate dubitaturis.

Qualis mater, talis Filius.

Ac sic illa dicere potuit; *Siue morimur, Domine morimur. Ut diutiùs viuendo quàm vellet, viuere Deo; sic moriendo, cum nulla peccati lege hinc libereretur, Domino moriebatur.*

Vide Baronium in Annalibus tomo 1. pag. 413.

D. August. seu Fulbertus, seu quouis alius serm. 1. Ass. etsi totus in eo est, vt ostendat eam assumptam cum corpore, tamen fatetur mortuam.

* 2. Mortuam martyrio.

Quod scilicet hinc torqueri posse videatur oraculum illud Simeonis; *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2.*

Vide Ambros. in cap. 2. Luc.

Isidorum de Vita & obitu Sanctorum, cap. 68.

Bedam in Luc. 2.

Sed id falsum. Mortuam enim violenter Mariam, nec litera, nec historia docet.

Imò mortuam statim ostendemus nulla morbi, nulloque sensu doloris.

Quamuis eam plus quàm martyrem, aliquo modo liceat appellare, propter vehementissimum & diuturnum illum consensum, seu compassionem dolorum filij, cum stetit iuxta crucem morientis.

* 3. Mortuam simpliciter, non violenter, sed & sepultam ab Apostolis: Eaque Catholica est sententia.

centia: Statutum est omnibus hominibus semel mori.

Hebr. 9.

Iam naturæ humanæ, & omnium omninò vegetigal est, mori.

Fuit autem mors Mariæ differens à nostra omnium, privilegijs istis

1. Certitudinis temporis, 2. securitatis salutis, 3. Copiae consolatorum optimorum. 4. Immunitatis dolorum, 5. Conscientia letissimæ, 6. Visionum iucundissimarum.	}	1. Certitudinis temporis,
		2. securitatis salutis,
		3. Copiae consolatorum optimorum.
		4. Immunitatis dolorum,
		5. Conscientia letissimæ,
		6. Visionum iucundissimarum.

* 1. Certitudinis temporis.

Nicephorus lib. 2 hist. cap 21. ait cœlitùs admonitam diei mortis suæ, Archangelo Gabriele internuntio, ac velut Apparitore, & læto Clarigatore.

Archangelum enim illum perpetuum eius custodem cum altero alio, ac internuntium fuisse, opinio est.

Congruum, quoniàm nonnullis Diuis inferioris ordinis id præstitum:

Vt D. Petro. 2. Pet. 1.

Vt Paulo. Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. 2. Timoth. 4.

Gratia multis desiderata, vt Dauidi: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est. psal. 38.

Psal. Quot sunt dies serui tui?

Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Iob.

Negata nobis, hominum vulgo; scilicet, vt, si lætet vltimus dies, expectentur omnes.

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Nescit homo finem suum. Eccl. 9.

* 2. *Securitas salutis.*

Nobis contrà summa incertitas, propter lib
arbitrij nostri summam volubilitatem atque
constantiam, quâ fit, vt qui manè ouis fuit, vesperè
fiat lupus rapax, vti & contrà.

Nemo scit an amore, an odio dignus sit.

Qui stat, videat, ne cadat.

Degenerat sæpè bona oliua, in oleastrum.

Tu insidiaberis calcaneo eius. Genes. 3.

Ex vase gloria, fit sæpè vas contumelia.

* 3. *Copiæ consolatorum optimorum, Apostolorum
confluentium, Angelorum, sed & Christi-
pius, Nicephoro teste lib. 2. hist.*

Amicus certus in re incerta cernitur, ait ille.

In nuptijs & morte, amici adparent, (vt dicitur
nostrate proverbio.)

Ergò hoc incertissimo tempore, sed & nuptiarum,
& coronationis huius virginis die, Angelis
quibus cognata & amica est virginitas, adesse
portuit.

Apostolos certè omnes (excepto vno Thoma,
& Iacobo ab Herode iam occiso) sub mortem
præsentes habuit, vel profectos illuc, negotijs suis
quemq; trahentibus, Deo ità sapientissimè ac fir-
uissimè prouidente, sine miraculo subitæ trans-
lationis, quæ sententia Baronio & ante eum Tur-
riano probatur, vel (quod est longè admirabilius)
diuina potentiâ eodem momento ex diuersis mû-
di regionibus per aera transuectos, vt quondam
Abacuc per Angelum in Babylonem; & Philip-
pus, cum docuit & baptisauit Eunuchum Reginae
Aethiopum; & fortè Christus ipse, cum in pinna-
culo

culo templi, & deindè in monte excelso valdè stetit: quam sententiam à multis traditam plures sequuntur.

Andreas Cretensis Archiep. Ierosoly. de dormitione Mariae apud Aloysium.

Dionysius Areop. de diuinis nom. c. 3.

Niceph. lib. 2. c. 21. Damascenus. Metaphrastes.

Michael Glycas non modò Apostolos, sed illos etiàm septuaginta discipulos, ad mirabile morientis virginis spectaculum memorat còcurrisse.

Pennis non suis, neque ceratis ope Dædalea, vt Icarus; sed diuinis, non curru à draconibus tracto, vt fabulosus Triptolemus, & Medea, sed igneis curribus, vt Elias, id est Angelis molliùs citiusque, quàm carpentum aut rheda, gestantibus, eò sunt delati.

Dominus solus dux eius chori fuit, atq; portauit in humeris suis. Deuteron.

Ergò Mater-Virgo talibus tunc vsa consolatoribus, aut potiùs ipsis solatio fuit.

Nobis verò misellis homùcionibus, ferè summo illo rerum cardine & discrimine tanto, aut nulla consilij, auxiliij, solatij copia; aut in consolatoribus, ploratores, aegros magis afflietates, quàm eorum animas consolantes.

Hæredes & propinqui si flent, rident sub personâ.

Vndè illud: *Hæredis fletus sub personâ risus est.*

— est

Gaudia prodentem vultum celare. Horat. lib. 2. serm. Sat. 5.

Quæsiui qui consolaretur me, & non inueni.

O s

nunc

————— nunc *Dama sodalis*

Nusquam est. Horat. *ibid.*

Haltum meum exhorruit vxor mea. Iob.

Canis sæpè solus, & equus vinctus ad præ-
sunt fidissimi socij morientium : *nec cernitur*
Agminibus comitum qui modò cinctus erat. Ouid.

Præcipientes atra ceu tempestate columba,

Diffugunt omnes. non est qui mandata extræ-
accipiat, non qui oculos claudat, nisi qui tum-
mum patrimonio ac prædæ inhiet. Macello
nemo adest, nisi qui sperat omnia.

*4. *immunitatis dolorum*, in qua sententia Iul-
nianus serm. de Assumpt. & Damascenus de dor-
mitione Virginis.

Morbis certè, quorum vi extingueretur, ob-
noxia non fuit.

Non morbo, non sensu doloris, non contu-
ctione neruorum, non corporis cruciamentis
horribili agitatione membrorum, non frictu-
dentium, sed quasi suauis ac dulci somno medi-
laboribus consopita obdormiuit.

Vt corpusculo itineribus longis, aut laboribus
diurnis, delassato suauissimus obrepit somnus;
Mors iam multis laboribus & annis fractam Ma-
riam suauissimè occupauit.

Vt plus in tali obreptione somni, est volupta-
tis, quàm laboris, sic in morte Virginis fuit.

Vt olim Deus immisit soporem in Adam, vt dor-
mienti, sine sensu doloris, costam excinderet, vnde
Euam formaret; ita Mariam soporauit, vt ab ea mo-
lissimè animam separaret.

Huc etiã forte spectarunt, qui hoc festum dormi-

nem Maria, quàm Assumptionem, dicere maluerunt.

Vel certè, instar extasin præ amore patientis, excessit.

Verisimiliter dici possit, Dei matrem tunc admiranda spiritus dulcedine, & gaudio inenarrabili perfusam, Deo sanctissimū suū spiritum reddidisse, inter psalmos & cantica spiritualia adstantiū Apostolorum, inter harmonicas laudes & cantus cœlestium spirituum, quasi rationaliū Sirenarū.

Neque eandem decubuisse lecto, more egrotantium, & qui morbo pressi hanc claudunt vitam (liceat & hoc bona Pictorum ac Sculptorum paco dicere) putem, cum neque infirmitate vexata credi debeat, neque debilitate prostrata, sed flexis potius reuerenter genibus & sublatis in cœlum manibus, inter orandum.

Sic enim è viuis excessit Paulus Eremita (Hieronymo teste in eius vita:) sic Stephanus positis genibus, orans, & Iesum stantem, & è cœlo prospectantem spectans. Act. sic alij multi.

Neque vllum decentius emigrationis è corpore genus, aut vlla ratio honestior, quàm specie orantis, positis genibus, & vtraq; in cœlum extentā manu, extremum vitæ diem claudere, vt ipso corporis habitu demonstratur occupatio mentis & subleuatio ad Deum, cum sui corporis relinquit ergastulum.

Certè eius Filius sic eleuatis manibus ferebatur in cœlum. Luc. 24.

Id est ferri in cœlum, instar sagittæ in cœlum iactæ, & vt virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.

Is modus nomini nostro apud Græcos, ueniētissimus. Αὐθροσθῆ enim significat quæ ὑπὲρ πᾶσιν, id est *sursum tendens*.

Vt ut, & quo quo statu aut compositu exoritur; excessit tamen nullo suo dolore.

Iustitiæ hoc fuit, & recti ordinis.

* 1. Cur enim pœna afficiatur in morte, quam uita nulla infecerat culpa?

Egrediatur è Mundo sine dolore (ait Iustus Dei) quæ ingressa est illum, & in illo progressa ne peccato.

Non patiatur moriens quod uniuersi, quæ nascendi & uiuendi modo supergressa est uniuersos.

* 2. Cur dolores mortis, bis scœmina subeat? Vix enim dolores mortis affatim tulerat in filij morte.

Quia passa fuerat quod morientes, dum Christo (sed citra mortem) uelut commoreretur, moriens iam nihil debuit pati.

Si pœna quæritur, quam pati maiorem potest illa, quam pertulit cum Filio patienti comparata est, & Christo crucifixo concrucifixa?

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, dicitur iam olim de eâ re Simeon. Luc. 2.

Non iudicabit Deus bis in id ipsum.

Ex sacco unico duos farinæ pugillos cum cooptat molitor, est iniquior, & nomine illo dignus quo vulgò censentur molitores.

* 3. Lancea quoque dirum illum ictum, quæ barbarissimè Christi iam mortui latus aperta est, sola ipsa senserat, ut quæ animo ibi & in p...

Stoore Christi erat, ubi amabat, & velut animabat pro anima amati sui, quæ iam tùm aberat, ad interos scilicet profecta.

Anima enim amantis (etiàm Philosophorum senso) *magis est, ubi amat, quàm ubi animat;* adeo, vt, qui verè amat, quærentibus de se respondere satis verè possit, *Non sum domi.*

Cùm igitur aculeis mortis, moriens iterùm lancinetur?

Satis vna superq̄

Vidimus excidia. Virgil. 2. Aeneid.

Non sit vnus multa tam multa, tamq̄; multiplex.

Cùm non concedamus B. Mariæ, quod quidam concedunt Moyfi? Tostatus certè loquens de Moyse, sic ait,

In hoc loco cum magna quiete positus est Moyses nõ tamquàm moriens, sed tamquàm dormiens, comment. in 34. Deut. quæst. 3.

Sic ergò diem suum obiit Maria expers dolorum,

Nos verò plebecula, quàm varia & multa morientes patimur!

Quos motus membrorum! quas rotationes oculorum! quos stridores dentium! quæ viscerum tormina! &c.

Circumdederunt me dolores mortis.

Ibi dolores, vt parturientis.

Ludicra dumtaxat sunt, præludia, & initia dolorum mortis, cætera vitæ huius cruciamenta. ibi rosæ sunt & violæ; hic vrticæ veræ, & spinæ plusquam Palestinae.

* 5. *Conscientia latissima, à rectè factorum vita, recordatione. Bonum certamen certavi, consummaui, fidem seruaui. In reliquo &c.*

Quenam summa Boni? Mens qua sibi conscientia Bias apud Aufonium.

Recurant tum maxime quæcunque in gessimus, maximè peccata.

Si meritorum, & bonorum operù memoria tum iuuat, iuuat etiàm illam.

Nil conscire sibi nulla pallefcere culpa. Horat. epp.

Iucundissimum illi fuit, in archiuo memorie suæ nihil reperiri, cùm timidiùs Iudici Deo se fisteret: contra reperiri cumulos ingentes meritorù, & Honorarij auriq; coronarij à Deo tum sperandi causas innumerabiles.

Nos verò, facem & amurcam hominù, tum maximè cruciat memoria peccatorum.

Trabes tum nobis videntur, quæ pro festiçolim habuimus, & flocci fecimus.

Tum quæ nobis visæ næniæ, apparent blasphemiam.

Et ita singillatim recensentur, vt dicere cogatur æger: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum &c.* Psal.

Multiplicata sunt iniquitates meæ super caput meum. Psal.

Peccaui super numerum arena maris.

Et nonnunquam: *Maior est iniquitas meæ, quam vt veniam merear.* Gen. 4.

Indè malis Mors tanto terribilior; bonis tantò tolerabilior: *Stabilem quando optima facta*

*Dant animum, maiorq; p̄s audacia captis. Valer
Flac. 2.*

* *6. Visionum iucundissimarum, nunc Angelorum,
nunc Christi ipsius, ei vultu quàm placidissimo &
festiuissimo adparentis.*

*Si Stephano, sub grandine lapidum morienti,
dignatus est antè apparere è cœlo prospectans, &
sic agonem serui sui confirmans, quis neiciat mul-
tò magis Matri suæ tunc adparuisse?*

Ità sentiunt Laurent. Iustinianus serm. de Ass.

Damascenus de dormitione Deiparæ.

*Andreas Cretensis de dormitione Mariæ apud A-
loysium.*

*D. Bernardus ser. 1. de Ass. Illud quis cogitare suf-
ficiat, quàm gloriosa hodiè mundi Regina processerit &
quanto deuotionis affectu in eius occursum cœlestium
legionum prodierit multitudo?*

*D. Anselm. de excellentia Virginis c. 8. Certè,
crediderim omnes illius beatæ patriæ cives festiuor. so-
lito, ac sublimiori nitore decoris, ad aduentum Matris
Domini sui preparari.*

*Ibid. Ipse Iesus ei, sicut suæ vnica Matri, totus fe-
stiuus occurrere volebat: & aliquis de familia sua so-
tanti gaudij immensitati subtraheret? Stipatus itaque
mille milibus, imò innumerabilibus Angelorum agmini-
bus Deus ipse huic p̄sissima Matri suæ de hoc mundo mi-
granti occurrit.*

*D. Hieronymus, aut quiuis apud Hierony. ser. de Ass.
indè id probat, quòd sc. sæpè legantur Angeli ad
sepulturas Sanctorum, vt Lazari, aduenisse. & cum
hymnis & laudibus ad cœlos deduxisse, & addis*

Quandò

Quand magis eius genitrici, in die obitus sui, credum est, cœlorum militiam cum suis agminibus obviam aduenisse, eamq; ingenti lumine circumfiss?

Hugo Victor. erudit. Theolog. ex Miscell. tit. 125. Occurrit &c.

Reginam thalamo cunctantem, ad limina primæ Penorum expectant, ostroq; insignis & auro stat sonipes, & frena ferox spumantia mandit. Aeneid.

Vidit quoque Mater. Virgo haud dubiè cœlos apertos, vti & Stephanus.

Vidit, & palmæ victricis ramum sibi afferri.

Vidit thronum, in quo iam iam sellura esset, sibi demonstrari &c.

Adcuratum, ut tùm ipsa Spectaculis iucundissimis vberimè recrearetur.

Nobis verò misellis ipsa sæpè morte molesta est, horrendas dæmonum facies videre spectacula simulacra modis horrentia miris, angues pro crinibus gestantia, oribus hiantibus, ignesque spirantibus & oculis ipsis terrentia intueri &c.

Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me. Iob.

Tunc maximè Dæmon falsis ludit imaginibus, & phantasmatis.

D. Martino tanto viro sic astitit, vnde & dicitur: *Quid hic adstas cruentabestia? Nihil in me sumiste, reperies. Abrahæ sinus me recipit.* Severus episcopus quæ est de obitu S. Martini.

Et illud Christi, *Venit in me princeps mundi*

ius, & in me non habet quidquam, huc facit. Ioan. 14.

Et Zach. 3. Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: & Satan stabat à dextris eius, ut aduersaretur ei, fortè huc pertinet.

Felix ergò Maria, quàm terrores isti non turbauerunt! Priuilegiaria valdè singularis fuit Maria tam in morte, quàm in omni vita.

Quid quòd etiàm tertio post mortem die assumpta in cœlum fuit, quanta erat, id est anima & corpore?

III.

Et corpore, & anima beatam nunc esse.

Credis hoc? Creditis scio, & ego credidi hactenus semper, & credo, & iam nunc, quâ potero, pro temporis breuitate confirmabo.

Quamquàm hoc hîc in initio fatendum est, cum magno Tostato in Matthæi cap. 22. quæst. 230. in resp. Non esse necesse hoc tenere, quia non est de articulus fidei, neq; etiàm est aliquid diffinitum per Ecclesiam, ut teneri debeat, idè licet cuilibet, sicut voluerit opinari. Rationes autem, quæ ad probandum illius resurrectionem sumuntur, sunt suasiones quadam, & non conuincunt, & tamen, quia communiter tenetur quod surrexit, rationabilius est hoc tenere. Si quis tamen contrarium asserat, non cõtendimus. Sed dicendũ quòd si surrexisse ponatur, non est asserendum, quòd hoc ei cõpetiuerit propter abundantiorẽ sanctitatem, & adproximationem ad Christum, sed solum quòd concessum est ei ex priuilegio. Hæc sic ille.

P

D. Hie

D. Hierony. aut quiuis apud Hierony. *sen*
Assu. Propter cautelam. saluâ fide; pio magis deside
opinari oportet, quàm inconsultè desiniri, quod sine
riculo nescitur. Quam sententiam mirè impug
 Baronius.

Iob 14. *Homo cùm dormierit, non resurget de*
atteratur cælum, non euigilabit neq; consurget de se
no suo.

Idem c. 19. *In nouissimo die de terra surrecti*
sum.

Ioann. 11. Martha ait de fratre suo Lazaro. *S*
quìa resurget in resurrectione in nouissimo die.

Carnis resurrectionem, quam quotidie profite
mur, nemo ante finem seculi, & rerum omnium
conflagrationem sperat.

Ergò nec Mariæ datum ante illud tempus *re*
surgere inquit aliquis.

* Respondeo,
 Mariã credi
 resurrexis-
 se à

1. Priuilegiorum multitudine;
2. Sepulcri vacuitate,
3. Nondùm reuelato eius corpore,
4. Reuerentia parentibus debita,
5. Hospitali iure,
6. Figuris,
7. Fidei Resurrectionis necessitate,
8. Quorundam glorificatione simili,
9. Angelorum admiratione,
10. Phrasi Angelorum,
11. Phrasi Ecclesie,
12. Consensum Patrum,
13. Scripturis.

* 1. Priuilegiorum multitudine. Decuisse enim
 priuilegiariam tam singularem, cuius ortus cu
 priu

priuilegio fuit ex senibus & sterilibus; cuius conceptus, sine viro ex Spiritu-Sancto, cum gratia & priuilegio fuit; cuius partus sine vlllo dolore, & sigillorum virgineorum læsione cum gratiâ & priuilegio; cuius vita tota cum priuilegijs summis fuit, & mors ipsa cum tot priuilegijs, quot diximus, & fortè cum pluribus, etiâ resurrectione præmatura (tertio fortè ab obitu die, vt credibilius est, vel 40. vt S. Elisabethę legitur reuelatum) tamquàm gloriosa omnium coronide, decorari.

Perpetuum tenorem priuilegiorum, priuilegio illo debuisse terminari.

Exitus acta probat.

Catastrophe maximè omnia probatur, in Comædis; & in Oratoribus, epilogis; & in benefactoribus, vltimis muneribus.

In quinto Actu summum artificem præstare conuenit.

Cicero dixit, in extremo Actu Poetam oportere esse optimum.

Secundas mensas & bellaria, decet reliquo conuiuio respondere.

Non propter ouum placentia corrumpenda, vt pro- uerbio nostrate dicitur.

Vbique in vitâ plenâ gratiâ, in morte quoque talis esse debuit, sed & plena gloria. Cuius vita plenissima fuit miraculis gratiæ: mors debuit plenâ esse miraculis gloriæ.

Quæ sola sine exemplo placuit Domino nostro Iesu Christo, etiâ sine exemplo debuit resuscitari.

D. Bernard. sermone i. de Ass. *Quantum gloria in terris adepta est præ cæteris, tantum & in caelis tinet gloria singularis.*

* 2. *A vacuitate sepulcri.* Post triduum enim morte Mariæ apertum est, & vacuum repertum.

Iuuenalis Ierosolym. Antistes (vt est apud Metaphrasten) maximorum Principum Martiani & Pulcheriæ rogatu, dixit, se à maioribus accepisse Apostolos, cum triduum ad Mariæ iam mortuæ sepultæq; monumentum precâtes atq; adorâtes perseuerassent, in gratiam D. Thomæ, qui nõ sine diuino cõsilio tardiùs venerat, sacrosanctumq; virginis corpus sibi valdè cupiebat ostendi, clausum Mausoleum aperuisse, sed sepulcrales tantum sindones reperisse, corpore nusquam adparente, creditumq; indè corpus Mariæ simile quiddam cum Christi corpore, quod ex clauso obsignatoq; sepulcro, linteis tantummodò relictis surrexerat, esse sortitum. Certè nemine hominum furto tolli potuisse thesaurum tantum, inter tot excubitores ac custodes peruigiles.

Porro Iuuenalis testis est omni exceptione maior, vt quem Calcedonensis Synodus vehementer honorarit. Et quia Ierosolymæ Episcopus factus, & Christi filij, Mariæque matris vestigia quotidie calcabat; credendus est rerum in ea vrbe gestarum fuisse scientissimus, & narrator fidelissimus.

Vicinorum & incolarum de vicinis & incolis, ferè certissima sunt testimonia.

Sepulcrum Virginis gloriosæ ostenditur in valle Iosaphat, non in imâ eius profunditate, sed in pede montis Oliueti,

Oliueti, & in editiori loco, quàm sit ipsa vallis, quod ante subuersionem ciuitatis extra terram eminebat: nunc verò est sub terra, vnà cum Ecclesia circum sepulcrum extructa. Brocardus cap 8. Itinerarij sui.

Triduana tot Apostolorum non interrupta præsentia, & statio, monodiæ & epicædio Mariæ decantando occupatorum, & fortè funebribus orationibus habendis (vt Pontifices tunc omnes fecisse, quemque pro captu suo memorat Dionysius Areop. lib. 3. de diuin. nom. c. 3.) ad Mariæ sepulcrum; fidem certissimum facit, à nemine sublatum eius corpus per dolū fuisse, aperto, aut suffosso sepulcro.

Si ante apertum ab ipsis sepulcrum in gratiam D. Thomæ, stationem deseruissent, suspicio furti aliqua esse potuisset.

Et benè probabiliterque apertum fuisse dicitur post triduum.

Nàm si 40. aut 50. dies poneretur inter tumulationem Mariæ, & tumuli apertionem, videri poterant Apostoli tamdiu in oratione stare non potuisse, deseruisse locum tandè tædio omnes simul, vel alternatim alius post alium, maximè cùm nulla subesset necessaria causa tamdiu illic excubandi, & corpus adseruandi. Sed triduana tantùm statio, vel omnium simul quasi Chori religiosorum, vel vnus aut paucorum alternatim vigilantium ad sepulcrum, religiosa & decora fuit, & hominibus non intolerabilis.

Si ergò humanitùs furto tolli non potuit à quoquam corpus Mariæ, quod tamen post triduū tumba aperta non repræsentauit; nec potuit à ver-

mibus tantillo spatio sic consumi, vt ne ossa quæ
superessent; restat afferere, diuinitus inde assum-
tum; cæloque illatum fuisse.

Nam dicere, dormientibus Discipulis veni-
Iudæos hostes Mariæ & Christi iuratissimos, sus-
tulisse; aut aperto sepulcro corpus illud, sustulisse
(vt volebāt Iudæi ipsos custodes sepulcri Christi
in vulgus spargere) & in cinerem fauillamq; vt
antè statuerāt redegisse; nimium derogat Aposto-
lorum vigilantia, pietati, multitudini, fortitudi-
ni, & mortis cuiuscunque contemptui.

Itaque rectè Damascenus, post quàm interro-
gavit sepulcrum Mariæ, quasi aliquid animatum,
*Vbinam est aurum illud purum, quod manus Apostolorum
in te condiderunt? . . . Vbi est desiderabile illud Deiparæ
Virginis corpus? ita illud respōdens introducit: Quis
queritis in sepulchro eā, quæ ad cælestia trāsata est
bernacula? Cūr à me custodia rationes exposcit? . . .
possum ego diuinis iussis resistere. Sacrosanctū corpus
relictis sindonibus abiit raptū sublime, comitantibus An-
gelis, Archangelis, & omnibus cælestibus potentijs.* Da-
mascen. serm. de dormitione Deiparæ.

Andreas Cretensis de dormitione Mariæ, ex inani-
tate monumenti nititur quoq; id probare.

* 3. A nondum reuelato eius corpore, aut saltem
nobili aliqua eius portione, vt capite, brachio, aut
manu, quod sanè honori illi futurum erat, nobis
consolationi.

Quod enim Diuis inferioris classis, imò rebus
inanimatis, præstitit Deus, hoc videtur Regina
Diuorum omnium debuisse.

Sed multorum Diuorum corpora, quum dicitur

latuissent, aut indignius collocata fuissent, dignatus est reuelare, tum vt dignius collocarentur, & religiosius colerentur.

D. Bonauent. lib. i. vite S. Francisci c. 6. §. 8. *Cum* D. Fraciscus in desertâ quadam oraret Ecclesia, in Pro- uincia Massa, apud montem Casalem; intellexit per spi- ritum. sacras ibidem remansisse reliquias: quas cum lō- go iam tempore defraudat as honorificentia debita, non sine mæore conspiceret; præcepit fratribus, vt eas cum reuerentia deferrent ad locum. Sed cum poscente causa discessisset ab eis; mandati Patris immemores filij, obedientiam meritum neglexerunt. Die verò qua- dam, cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcerrima & redo- lentia nimis, non sine admiratione reperiunt: intuen- tes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat... Considera diligenter diuina prouidentia curam circa puluerem nostrum.

De SS. Geruasio & Protasio habes apud Aug lib. 9. confess. c. 7. *Sanctorum corpora Stephani protomar- tyris, Gamalielis, Nicodemi & Abibonis quæ diu in ob- scuro ac sordido loco iacuerat. Honorio Imperatore Lu- ciano Presbytero diuinitus admonito inuenta sūt propè Ierosolymā Gamaliel locum iacentium corporum com- monstrauit. &c. Breu. Ro. 3. Augusti, ex Luciano.*

Quinto Septembris in Gallijs ciuitate Vefontionum, inuentio beatorum martyrum.

Ferreoli & Ferrutionis, à beato Auiano, tempore Iuliani Imp. Vsuard. in Martyro.

Ado Viennēsis in Chronico ætate sexta, mihi pa. 170. Ioānes Baptista caput suū duobus Monachis O- rietalibus, qui ob orationē venerāt Hierosolymā, iuxta

Herodis quondam habitaculum reuelavit, quod
ceps Emessam Phœnicia urbem perlatum, & digni-
nore cultum est. Contigit hoc tempore Clodius
Regis Francorum, & S. Mamerti Ep. Viennæ
aut circiter.

Idem ibidem, ætate quoque sexta, pag. 149
gani apud Sebasten Palæstina urbem (fortè ea est
Samarina antè dicebatur) sepulcrum B. Iohannis
ptistæ inuadunt, ossaq; dispergunt, eadem rursum
cæta concremantes latius per agros dispergunt: (temp-
re Iuliani, qui ex Clerico Imperator est factus,
ex Christiano Apostata) sed Dei prouidentia adfuerunt
quidam ex Hierosolymis monachi, qui colli gentibus mi-
xti, quacunque poterant ablata, ad Patrem suum Philip-
pum pertulere: ille confestim hæc (supra se enim dicebat
tantum thesaurum proprijs seruare vigilijs) ad Pontifi-
cem Max. tunc Athanasium, per Iulianum Diaconum
misi. Quæ ille suscepta paucis arboribus, sub cauæ
crarum pariete inclusa, profutura generationi populi
cõseruauit. cuius præfagiũ sub Theodosio Imp. per Theo-
philum eiusdem urbis Episcopum, completur. Qui de-
structo Serapis templo, Sancti Iohannis ibidem consecra-
uit Ecclesiam.

Martyrolog. Rom. 4 Kalend. Septemb. Decol-
latio S. Iohannis Baptista, quem Herodes circa pascha
Pasche decollari precepit: quæ tamen hoc die solemniter
colitur, quando eius caput Marcello Presbytero re-
uelatum, secundo inuentum fuit: quod postea in Gallias,
indè Romam translatum in Ecclesia S. Siluestri ad Ca-
pum Martium summâ populi deuotione asseruatur.

Vidistis à biennio iam ferè corpus Alberti
quondam Episcop. Leodiens, & martyris, Remi
reper

tum, indeq; in Belgium maxima pompa illatum
fuisse, coram quo, ferculo ac rheda ad muros ve-
stros, ad Magdalenaë fanum, tantisper quiescente,
orationem latinam gratulatoriam habuisse me o-
mnes meministis.

Ergò saltem eandem gratiam, vel tandem,
præstare debuit Filius Matri suæ Virgini, & reue-
lare, ubi lateat corpus eius, aut caput, &c. vt aliquo
etiã honore in terris coleretur, si tamen adhuc
in terris est.

At non fecit; Ergò in terris non est, sed in cœ-
lo, verioribus honoribus fruens.

De S. Crucis quoque Inuentione per Helenam
quis nescit? & quo miraculo ea ab alijs discreta &
cognita sit, cū tres eodē loco pariter inuētæ essēt?

Sed Maria Cruce illa Christo debuit esse ho-
norabilior.

* j. In Cruce enim stetit suffixus tres tantū aut
quatuor horas.

At in Maria per 9. aut 10. menses.

Longa decem matri tulerunt fastidia menses. Virg.

* ij. Maria eum genuit, peperit, aluit; Cruce cō-
sumpsit.

* iij. Cruce illa idcirco tātum honorabilis, quòd
Christi sanguine tincta tūm fuit.

At Maria, quia Christo totum sanguinē, quo
Crucem illam tinxit, dedit.

Beatius est magis dare, quàm accipere.

* iiij. Cruce illa semper Christo fuit molestissi-
ma,

At Maria Christo semper benefica.

* v. *Cruce* Christum tulit, nullo suo fere dolore, sed summo illius qui ferebatur.

At Maria Christum gestavit brachijs paulum multo suo labore, maxime cum in Aegyptum fuga celerabatur, nullo (quoad fieri potest) labore aut dolore eius, qui gestabatur.

* vj. *Cruce* illa si Christo aliquando seruijtu uijt seruiliter, ut sic dicam, minimeque liberè instrumentum inanime;

Maria verò quodocunque seruijt Christum seruijt filialiter ac liberalissimè, summaque animi libertate.

Igitur pari saltem cum cruce, honore fuerat asseruanda, detecto vel serò tandem sacro eius corpore.

Sed nondum quidquam corporis Mariæ detectum, nilque eius toto orbe habet Ecclesia, nec vel digitum, aut pedis articulum.

Eius subuculam ferunt haberi Aquisgranensibus. *Franc. Paruus in sua hist. gallicâ rerum Belgicarum lib. 6. ad annum 1588. mibi pag. 322.*

Videor subaudisse, annulum eius sponsalium Treueris adseruari.

Capillos quosdam inclusos columellâ è vitro crystallino vidi in Hannonia, in Monasterio Ghisleni, secundo à Montibus lapide, qui virginis Mariæ dicebantur, sed hoc antequàm Ghislenopolis in Hæreticorum Tornacensium, Duce quodam Turconio, veniret potestatem, qui ingenitæ rabie reliquias illic omnes quotquot potuerunt profanarunt, perdiderunt, anno 1581. *quâque miserrima vidi* Et quorum pars magna fui, tunc illius incola.

Aliquo igitur honore æquipollente aut maiore cohonestata est. At quo, nisi præmatura hæc quam dicimus, eius Resurrectione, & corporis in Cælum Assumptione?

Sed inquires. Nec hoc, nec illo, ornata fuit.

Non illo Resurrectionis, ne ordo ille fixus peruertatur.

Neque reuelatione corporis sui, aut inuentione; Ne scilicet pop. Christianus in idolatriam aliquam sensim laberetur.

Ità Moyse corpus semper latere voluit.

Deuteron. 34. *Moyse mortuus, & sepultus à Domino, & non cognouit homo sepulcrum eius, vsq; in præsentem diem.* ne eo reperto ad idololatriam mouerentur (ait ibi Abulensis q. 3.) Hebræorum quispiam ait: *Sepeliuit semetipsum sc. Moyse, id est, ingressus est speluncam, quæ fuit illi loco sepulcri, quum se prius composuisset.*

Iudas autem Apostolus memorat altercationem aliquandò inter Michaelem Archangelum, & Diabolù, de Moyse corpore intercessisse, Diabolo scilicet volente occultatum illud corpus prodere Hebræis ad Idolatriam pronis, cultu Dei uiuentis relicto, exuuias tanti Ducis, Assertoris, & Legislatoris sui adoraret; Michael contra cù Angelis sanctis prorsus obstantibus, & pro Dei ac Domini sui honore zelantibus, & salutis Synagogæ sibi commissæ sollicitis.

Vel Hebræi ipsi id circò studiosè celatù Moyse sepulcrum autumant, ne ipsi Moysem pro Deo colerent, quia proni erant ad Idololatriam. *Petrus Comestor hic in hist: Scholast.*

In procliui est, probos Legislatores diuinis honoribus adficere. Lacedæmones certè, Lycurgo nobili Spartiatæ legislatori suo, etsi peregrino tuo, sacellum consecrârunt, & ob singularia in patriam merita, diuinos ei honores tribuerunt.

Eiusmodi enim Magistris, vti nec Dijs, videtur æquiualens. Non sunt tamen diuinis honoribus adficiendi, nec soli, nec pari cum Deo.

Alioqui reclametur his Psalmistæ verbis: *Amicis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* psal.

Et istis: *Gloriam meam alteri non dabo.*

Ergò, ne id, occasione Mariæ Virginis Christianis accideret, adhuc latet corpus eius.

* j. Respondetur: Ecclesiam Catholicam illius magogæ morbo, id est, illa ad idolatriam profusione non laborare. Itaque nec debuisse illi virginis corpus occultari. Ergò in cœlum assumptum esse.

* ij. Item; vt fuerit futura aliquandò talis, tamen nunquàm ipsi Apostoli, non ipse Thomas, qui tam difficilis ad credendum, etiàm diuinis verbis, quibus tamen tam præproperè corpus illud subductum, imò surreptum est.

Itaque non idolatria præuenta est, sed maior gloriæ Mariæ prouisum.

* iij. Item; non erat par periculum idolatriæ Mariæ corpore, & à corpore Moyfi; Non enim Legislatrix, sed mater tantum Legislatoris.

Nec tam facilè est, credere diuinitatem in

mina, quàm in viro.

*Deindè; minùs præstitum honoris corpori Mariæ, quàm corpori Moyfis.

Nàm, etsi nesciatur, quo præcisè loco iaceat Moyfi corpus; scitur tamen, qua terræ regione sit, & qua valle. *Sepeliuit eum* (inquit scriptura) *in Valle Terra-Moab contra Phogor.* In Gai sepultus fuit, id est, in valle, quæ erat in vertice montis Nebo, qua parte respicit terram Moab, non Terram-Sancam, è regione phani Phogor idoli Moabitaram.

Et Moyfes ipse sub mortem populo benedicens, subindicarat, debere se sepeliri in tribu Gad, dicens: *Vidit Gad principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populis & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel.* Deut. 33. id est, vidit Gad se hac parte cæteras tribus antecellere, quòd in sua tribu ac terræ portione Moyfes sit sepultus, in monte Nebo, ea ferè phrasi, qua dicitur *Beth-lehem non minima in principibus Iuda*, quòd ex ea Dux esset exiturus, id est, nasciturus. Beth-lehemum illustrant vnius cunabula, montem Nebo alterius sepulcrum.

De Mariæ autem corpore, non solùm nescitur, quo iugere aut spatio terræ quiescat, sed nec qua regni alicuius regione, imò nec qua mundi parte, in Orientene an in Occidente; in Asiæ, an in Africa, vel Europa, &c.

Tulerunt Dominam meam, & nescio vbi posuerunt

am.
Alterutrum horum facere Deum debuisse, vel saltem sic latè & spatiosè locum aliquem certum

sepulcri Mariæ indicare, vt indicauit locū
si, vel cum corpore eam assumpsisse.

Primum non fecit, vt patet; ergò alterum

Tàm preciosum thesaurum dignius cœ
terra seruari.

* *Denique*; Moyfes quo loco positus, illo
ctus est.

At Mariæ corpus sublatum indè, vbi sepe
rant Apostoli.

Aut hoc inuidia gloriæ eius odiosè affectu
est factum, aut studio gloriæ excellentioris,
corporis glorificationem. Sed dicere *Christi*
Matri inuidere, sit blasphemia: Ergò factum hoc
studio maioris gloriæ, & resurrectionis eius.

* 4. *Areuerentia* parentibus debita.

Est probi filij, cùm ad sublimiora fortè for
na prouectus est, parentes quoque promouere
participes honoris sui facere.

Sic Ioseph Aegypti Dominus ac Pro-Rex
ctus, patrem cum tota familia ad se vocauit, cum
bus equisque ad eum missis in Aegyptum in
xit. *Genes.*

3. *Regg.* 2. Salomon Bethsabæ matri suæ
yeniendi ob negotia Adoniæ, adsurrexit, occurrit
thronū illi statui, & ad dexterā tuam sedere iussit.

Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.
psal. 44.

Non est vlli erubescendum genus suum, aut
alto despiciendum.

Agathocles Rex creatus ex figulo, adeò non
rubuit submissam originem, vt fictilibus in ma
sa vsus sit perpetuò originis suæ monumento.

Sed credibile non est, Christum, qui de ritè honorandis parentibus legem tulit, ipsum legis suæ huius fuisse violatorem.

Ergò prouectus ad dexteram & regnum Patris, primo quoque tempore Matrem mortuam ad se recepit, & fecit gloriæ suæ participem animo simul & corpore.

Alioqui, Quis ille honos sinere matris suæ corpus humi putrescere, latereque tot iam sæculis, tot interim Diuorum minorum ac gregariorum ossibus manifestatis, terra effossis, aureis argenteisue thecis & benè gemmatis gloriosè inclasis, & in summis templorum altaribus constitutis?

Non honor est hic, Iesum Christum Mariæ filium suscipere deque habere, quo loco sint res maternæ, cùm interim ipse in Cælo dexteram Patri sedens claudat, bonisque eius potioribus perfruat.

Si Cælo nondùm dignatur; dignaretur saltem aliquo honore in terris.

Aut non inuidisset nobis notitiam sepulcri & corporis eius, indè illud efferendo, vbi ipsi posueramus, & alio transferendo, vbi esse nesciremus; neque Matri suæ honorem illum & cultum, quæ Diuis minorum gentium non inuidit.

Hic pietatis honos! sic Matrem in sceptrâ reponis!

Virg. l. Aeneid.

Vt dicat Mater; Locūq; cælo pulsa pellicibus dedit

Tellus colenda est, pellices cælum tenent! Senec. in

Herc. furente Act. i.

O Christe! ô Christe! Si hæc mater fuit, vbi est amor tuus?

Hoc

Hoc sine amare matrē atque honorare, et
to sepulchro eius corpus mōx à sepultura
re, ignotoque recondere, ne floribus adspersum
tur, ne colatur?

Quid faciat hostis, si hoc Filius?

Sed credi hoc de Filio absurdissimum. Et
Maria in cœlum corpore quoque recepta est.

Quid, quòd nec Deum Patrem decuit in
re horum alterutrum charissimæ suæ seu filie
nurai Mariæ, imò Compari suæ, Commatri
sic dicam) & eiusdem Filij Congenitrici? Nam q
Dei Patris ab æterno est Filius, idē & Mariæ Vir-
ginis in tempore Filius fuit.

Quid, quòd nec decuit ipsum Spiritum - San-
ctum, tam inurbanum, imò tam saevum esse in
Mariam, aliquo modo Sponsam suam, eiusq; in-
fabili operatione gravidatam?

Ergò, si tantam officij obliuionem, neque
Deo Patre, Mariæ quasi Socero, neque in Spiritu
Sancto, Mariæ quasi Sponso, fas est suspicari
nunquam latebras corporis eius detexerint
honoraturis; eam resurrexisse, totamque Cœ-
lestem receptam esse, credendum est.

D. Aug. aut quiuis alius apud Aug. ser. i. de
Nunquid non ad benignitatem Domini pertinet
tris seruare honorem, qui legem, quæ Matris honorem
precipit, soluere non venerat, sed adimplere? Putred
namque & vermis obprobrium est humana conditio
nis.

* s. Ab hospitali iure, & gratitudine.

Hospes hospitem excipiat pari, imò maior
charitate.

Recurfus, & refluxus sint gratiarum.

Hospitam suam Magdalenam suscitatione Lazari fratris, compensauit Iesus: Zachæum salute totius domus.

Diciturus tandem omnibus: *Hospes fui, & collegistis me, sitini & dedistis mihi &c. Venite benedicti Patris mei possidete &c.*

Prophetæ prisci, hospitis & hospitibus suis, quâ quâ potuerunt, valdè grati fuerunt, res domi angustas amplificando, nonnunquàm & liberos hospitem suorum suscitando, vt de Elia & Elisæo legitur. *libb. Regg.*

Sed Virgo Maria venientem in hunc mundū Filium Dei excepit in domum suam, & vteri sui thalamo locauit.

Vestiuit corporis indumento & carne.

Vestiuit deindè & carnem eius iam grâdiusculi veste inconsutili, vt & antea paruulum panniculis congruis inuoluerat.

Lactauit, paut, curauit corpus eius, domique suæ 30. totos annos eum habuit, non vt hospitem, sed vt filium suum charissimum, & matris delictium.

Quid debuit facere, & non fecit?

Ergò & Christus quoq; tēper gratissimus hospes, Mariam matrem suam tam caram, tam sollicitam, tamq; bonam hospitam, mortuâ penes se receperit, pelle & carnibus vicissim vestierit, & pari saltem retulerit, Cœlo illam rediuuiam recipiendo.

*6. *A figuris, Arcæ, Templi, Montis Sinai, Vestis suæ, Ecclesiæ.*

Deus

Deus nihil ferè eorum in quibus vel habitus
vel informavit, voluit putrescere, aut fœderi
re.

* j. *Arcam* fœderis, de lignis Sethim impu-
libus voluit fabricari, ne fieret esca vermium.

* ij. *Templi* Salomonis facta recta curæ per-
ges ac Sacerdotes habuit, & dirutum instauratum
voluit, huc etiam instigato Ethnico Rege Syria
dimisso Zorobabele cum filijs captivitatis Iuda-
e à Rege huc tributo, donec meritis & peccatis
Iudæorum cogentibus, & ita volentibus re-
Sacramentis, sic dirui voluit, *vt non maneret lapis
super lapidem.*

* iij. *Montem* Sinai, vbi legem dedit, adtingi no-
luit, non à bestia, non ab homine. *Bestia quæ tetigerit
montem, lapidabitur.*

* iij. *Vestem* suam inconsutilem, matris vir-
nis opus, crescere secum voluit, non vsu longum
fui, non lacerari: & eandem, exutus in morte, voluit
luit vel ad æquandas portiones militares distribu-
di, sed forte totam vnus esse.

* v. *Ecclesiam* suam, id est, cœtum fidelium,
quorum medio consistit, vt animus rector in con-
pore, nõ vult omninò schismatis & hæresibus
dia in contraria scindi.

Ergò nec Mariam, arcam illam Deitatis suæ
nimaam, voluerit pati vnquam corpore putre-
cere; neque vinum illud templum putredine ru-
re, aut certè dirutum morte irreparatum manere
neque vestem neq; montem illum altissimorum
virtutum, in quo diu sedit Legislator, à bestijs
vermibus tangi, & carnem illam, *feminam, quæ*

cum dedit virum, à tineis rodi, diuidi, diuisimq; ha-
beri, vnicuique partem, Cælo animû, Terræ cor-
pus adtribui; neq; Ecclesiolam illam, & eam quæ
multarum instar fuit, vermium arrosione huc il-
lucque dissipari, ossa cineresque in ventum posse
spargi.

** 7. A fide resurrectionis necessitate.*

Necessarium est credi, tam scæminas, quàm vi-
ros aliquandò resurrecturos; eiusque rei exempla
quædam initio ab utroq; sexu diuinitus dari con-
gruebat.

Sed ad virorum resurrectionem probandam
Christus vir iam pridem resurrexerat.

Ergò, ad mulierum quoq; resurrectionem cõ-
firmandam, aliquã mulierem, saltem vnã è mul-
tis, resurgere maturè quoq; post mortè, cõgruum
fuit.

At cui æquiùs hic primitiarum resurrectionis
scæminæ honos, quã Mariæ arrogetur? florì scæ-
minarum sc. benedictæ inter mulieres, matri eius
viri qui primus resurrexerat, primogeniti mor-
tuum, & ipsius Resurrectionis omnium auctoris,
scæminæ mudi reformati Principi? Ergò iam Ma-
ria animo & corpore cælo recepta est.

Quin immò, non tantùm resurrexisse eam,
& quidem scæminarum primam mihi consenta-
neum videtur, sed etiã instar filij, chorù quoque
aliquem scæminarum à mortuis tunc excitatarum
secum in cælum introduxisse, Euam fortassis,
Saram, Rachelem, Annam matrem suam, & quas
conuenientius fuit.

Adducentur Regi virgines post eam &c. Psal. 44.

Ascendens enim Christus in altum, captiuam de captiuitatem.

Athanas. in Euang. de sanctissima Deipara finem, manifestè testatur etiàm in corpore gloriosam, & vocat primitias vite immortalis omnium uentium, sed ordine non causa.

* 8. *Ab aliorum quorundam glorificatione fit li.*

Sic Baronius ille Magnus, Historicorum Cesar, qui me sibi conuiuam Romæ adesse uoluit. *Christo resurgente ex mortuis, multa subinde corpora Sanctorum surrexerunt &c. quos penetrans ille caelo secum duxit in altum, captiuam (ut ait Propheta) ducens captiuitatem: quid tam mirum, ut Matri concessum sit quod compluribus seruis?*

Aliquorum opinio est, multos iam in cœlo nimo & corpore beatos esse.

Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt, cum Christo. glossa dicit, iam cum corpore in gloria.*

D. Hieronym. ad Heliodorum, de morte Nepotiani dicit illos tum resuscitados, uisos cum corporibus in cœlesti Ierusalem,

Iob ex alis fuisse creditur.

Dauid quoque fortasse. Nam D. Petrus Actuum loquens de eo, ait: *Et sepulcrum eius apud nos est, et ausus fortè dicere corpus eius apud nos est, suspicatum cum Christo ascendisse.*

Rabbi Samuel Irahelita, oriundus ex ciuitate Regis Morochiani; epist. ad Rabbi Isaac Magist. Synagogæ quæ est in Subiulmeta in regno predicto, De Moysè, inquit, non est dubitandum, quin

in Caelo in corpore & anima, vt dicitur Deut. 34. Dixit Deus ad Moysen: Ascende in montem nocte, & morere ibi, & ascendit in montem, & mortuus est ibi. Et nesciuit homo sepulcrum eius vsq; in hodiernum diem.

Et quid significat, quod sepulcrum eius est ignotū in terra, cum ipse fuit Prophetam maior & sanctior alijs, nisi quod Deus resuscitauit eū, & assumpsit eum in corpore & anima sicut alios iustos assumpsit, & eleuauit ad locum vbi sunt &c.

Ioannem Apostolum tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit. ait August.

lactatur sepulcrum eius nihil reliqui habere, præter manna indè scaturiens.

Ità videtur decuisse. Nam si Iustitia quædã Dei præter ordinem quosdam iam ante Iudicium vltimum corpore & animo esse in Inferno voluit, magis decuit eius quoque Misericordiam, qua super exaltat Iudicium, etiã quosdam præter ordinem ante omnium resurrectionem, animo & corpore Caelo recepisse.

De diuite Epulone dicitur Luc. 16. Sepultus est in Inferno. At anima non sepelitur, sed corpus. Ergò.

De Core, Dathane, & Abirone, & socijs: Dirupta est terra sub pedibus eorum: & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum. Descenderunt q; viui in Infernum, operiti humo. Num. 16.

Psal. 105. Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.

Fieri autem ità posse videtur, cum Propheta id optet accidere nonnullis valdè improbis, dicens:

Veniat mors super illos, & descendant in Inferos viuentes. Psal. 54.

Non enim fuit tātus Propheta eam rem interrogaturus, si impossibilis factu sit.

(Negat tamen Testatus comment. in 16. Num. 20. vide locum.)

Cūr igitūr non sit etiām Mater ipsius Christus qui hæc alijs & meruit & præstitit, tota Cœlo cepta?

Alioqui ea iure queri sic possit:

Nos tua progenies, Cœli quibus annuis arcem,

Prodinur, atq; Italis longè disiungimur ora!

Hic pietatis honos! sic nos in sceptræ reponit! Virg
lib. 1. Aeneid.

Vbi est illa antipelargia? & vt sic dicam, Ciconiatio?

Itane? vt vincatur Christus à ciconijs pietatē quæ parentes senio defectos alunt, & quæ hyemem mutandæ sunt sedes, eos inter se recipiunt, & deficientes alis sustinent!

Exteris scilicet posthaberi matrem à Filio in Resurrectionis celeritate!

* 9. *Ab Angelorum admiratione hodiernâ. Quæ ista (inquiunt) quæ ascendit de deserto, delicijs mensurans &c. Cant. 8.*

Mirantium sunt interrogationes eiusdem di.

Mirari autem non contingit vñtata.

Vñtatum autem iam erat Angelis, videre etiam separatas cœlo recipi. Ab Ascensione eius Christi, vsque ad Assumptionem virginis Mariæ annis circiter 24. labentibus, infinitè propèant

sic exuta in cælum receptæ erant dubio procul.

Ergò inusitatum aliquid hodiè mirabantur. Quid verò illud, nisi Mariæ animam corporatam ascendere? Prima enim Maria tum ascendebat, vel sola, vel cum paucis quasi honoris causa, vel pedisequis, vel comitibus.

* 10. *Aphrasi Angelorum, Patrumque.* Angeli hic dicunt Mariam *innixam super dilectum suam.* Cant. 8.

D. Bernard. sermonibus de Assumptione Mariæ, Vocum, faciei, Osculorum, Amplexuum, Colloquiorum Mariæ & Filij meminit in hoc triumpho.

D. Bernard. serm. 1. de Ass. *Quid putamus, quænam illa fuerit cælestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beatâ eius frui præsentiam meruerunt.*

Ibidem. *Quis cogitare sufficiat... quam diuinis suscepta amplexibus à filio?*

Ibid. *Fœlicia prorsus oscula labijs impressa lactentis, cui virgineo mater adplauderat in gremio. Verùm nunquid non fœliciora censebimus, quæ ab ore sedētis in dexterâ Patris hodiè in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ epubalamium canens, & dicens: Osculetur me osculo oris sui?*

At ea omnia, & innixio illa Mariæ, quam dicunt Angeli, super dilectum suum fieri non potuerunt, nisi ab anima corporata.

Ergò cum corpore assumpta fuit.

* 11. *Aphrasi Ecclesiæ.* Assumptionem enim hoc festum vocat, non respectu Dei assumptis; nam hoc commune & beatis omnibus, etiàm sine

corpore in Cœlum receptis, ut à Deo ad Deum sumantur: sed respectu animæ ipsius Mariæ, quæ post triduum resumentis.

* 12. A consensu Patrum Ecclesiæ Catholicæ & Hæreticorum. Baronius ex Græcorum & Latinorum assertionem, tum ex usu & consuetudine Ecclesiæ constanter asserit.

DD. Thomas, Bonauëtura, Albertus Magnus, et alii Victorini Richardus & Vgo, ac alii Scholastici consentiunt.

Videtur & Baronio, Ecclesiam id sæpius Verbis, Responsorijs, Antiphonis, & Lectionibus adfirmasse.

Hæreticorum quoque aliquis vnus: Credimus inquit, & Deiparæ Virginis Mariæ purissimum thalamum, hoc est sacrosanctum corpus eius deportatum in cœlum.

* 13. A Scripturis aliquot, eò vergentibus.

Psal. 45. Adstitit Regina ... in vestitu deaurato est, corpore, quod est animæ indumentum.

Psal. 132. Surge Deus in requiem tuam, tu es fortitudinis tua.

His duobus locis vtitur F. Petrus Galatinus Minorita lib. 7. c. 10. de arcanis Catholicæ veritatis contra Thalmudistas, ut probet Mariam morte resuscitatam, & adsumtam: vbi & pro sanctificationis tuæ legit (arca fortitudinis.)

Nicephorus quoque illo (Surge Deus &c.) vtitur.

Psal. 15. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem: nõ malè de Mariæ quoque corpore incorrupto interpretari possis.

Tot ergò tantisq; momentis adducor, imò cogor, vt credam adsumptam rediuiam.

Et verò, cù si non ità esset, aut ego, aut alij Euàngelici Oratores, Scriptoresq; adeò laboremus, vt id nobis alijsq; persuadeamus?

Quid magis, hoc ità posito & credito, nobis aut feritur aut metitur? quid, non posito aut non credito, perit aut tollitur?

An ità volumus scilicet, vt propiùs ac meliùs illic ostendat *Filio pectus & vbera*, quemadmodum dicitur Christus Patri ostendere latus & vulnera?

D. Arnoldus Abbas Bonæ Vallis tractatu de laudibus Mariæ.

Minimè verò. Nàm, nec si ibi cum corpore est, eiusmodi gestibus vtitur; nec Deo opus est his vocalibus commemorationibus, quasi immemori beneficij, aut ad pathos his artibus mobili.

Animi desiderijs, votisq; aguntur illic omnia.

Imò verò potiùs expediat nobis, Mariam animo solo beatã esse, corpus autem nobis esse relictum in sepulcro illo, aut quò quò trãsserri Deo collibuisse, dùm in terrã remaneret.

Magno enim adhuc thesauro apud nos reposito possemus mortales gloriari.

Magno præsidio in aduersis, aut cœlestibus minis freti videremur, vt dicere possemus irato Deo, vt ne terram disperderet vel saltem tam sacri depositi reuerentiã.

Verberandi, feriendi; ad eius ossa, quasi ad arã tutelarem confugeremus. Sæuiret Deus; sed tantũ vsque ad hanc arã, & vsq; ad has exuias.

Et forsitan, si adhuc in terris esse constarent qui quærent; esse possent, qui vel multastigatione, vel fortè fortuna reperirent, ut quidam Cicero magni illius Geometræ Syracusæ Archimedis sepulcrum.

Cic. 5. Tusc. Archimedis ego Quæstor ignoratum Syracusanis, cum esse omninò negarent, septum vultu & vestitum vepribus, & dumetis indagavi sepulcrum. Ego cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portum Agragianas magna ferè frequentia sepulcrorum) nimaduerti columellam non multum è dumis eminentem... Ità nobilissima Græcia ciuitas, quondam verò etiàm doctissima, sui ciuis vnius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arimate didicisset.

Esset maximum operæ huius pretium inuentori, apud Deum & apud homines, ut rei omnium pretiosissimæ, & fontis curationum repereretur.

Cùm temerè adscribamus Cælo, quæ in Terris adhuc esse miseris mortalibus sit satius?

Humana ad Cælum transferre quorsum? satius diuina ad nos attrahere; aut, si quam benedictionem dedit Legislatores, & terra nostra dedit fructum suum, ea terræ & terrigenis adseruare, eorum præsidio, exemplo, monumento profutura.

O quot ægri, corporis illius sacri curarentur ad tactu, si adhuc in terris esset, & repertum! cum tam multi, vel solarum imaginum eius religiose reuerentia, tot sacris locis, corporis Mariæ tamen omninò inanibus (ut Seruiæ, & Hallis in Hannonia

nia; Sichemi, seu Aspricolle, in Brabantia) citiffimè curentur à languoribus suis!

Possent quoque excitari à mortuis multi, vt olim nescio quis à prædonibus trucidatus ad tactu solo ossium Helisæi.

Et deindè, quàm vergeremur omnes ad imitandum, corporis tam sanctæ Heroidis ad spectu!

Si nemo penè est, etiàm nunc, qui non mirè tangatur visis eius pictis in tabella, aut fictis in basi imaginibus, & concipiat nescio quos amores eius pudicitia, humilitatis, & totius innocentia: quos non eodem vrgeret corpus eius obiectum oculis, & manibus si liceret, contrectatum!

Submoueam dotes inuidus ipse meas?

Et quàm illustre hoc esset diuini amoris ingenus nostrum, & omnipotentia monimentum!

An fortè dicimus Christiani, assumptum eius corpus in Cælum, aliquo metu Iudæorum, ne quærant, & ne fortè inuentum comburant & in fauillam redigant, vt sunt minati & conati?

At quid illi timeamus, quàm scimus, omnibus potentissimè patrocinari, & tueri?

Quàm tunc potens fuit, vt manus ei tolleret, qui feretro eius vim parabat, tam nunc potens aduersus conatus cuiuscunque.

An lucri maioris aliqua spe?

At si Cælo receptum corpus eius non esset, esset Ecclesie (quæ solet hostibus suis quæstus paulò auidior videri) lucrosius multò ac quæ

quæstuosius. Quis non videat, dici illam adhuc
licubi esse in visceribus terræ, plus emolumentum
fuisse allaturum ac farinæ?

Si falsa & mendacia (quod absit) nos Con-
natores venditare vellemus; an non potius men-
dacia lucrosa, quàm sterilia & inutilia autoribus
suis, atque auditoribus, diceremus?

Mentiri isthic si vnquam Ecclesiæ (quod ab-
sit) libuisset; verisimilius & quæstuosius profecti-
mentiri potuerat, inuentum Mariæ corpus fingē-
do, falsas nescio quas eius vice reliquias obtruden-
do, & illas cauponando, quàm cum corpore as-
sumptam falsè & frustrà docendo.

Non ergò obtrudit hic Ecclesia Catholica vlu-
lum mendacium, cùm docet assumptam Mariam
rediuiuam.

Nec officiosè, nec lucrosè aut venaliter vnquam
Ecclesia mentitur.

Ma uult Ecclesia (& nos vnà cum ipsa) ven-
dignè Mariam dicere & docere, incommodo periculo
suo, & minore gloria, quàm gloriæ & vilitati suæ
temporaliter prouidendo, falsè & indignè tantam
Matre & tanto Filio, adserere adhuc in visceribus
terræ, nescio qua sibi ignota aut nota Orbis regio-
ne sepultam latere, ab Angelis Ierosolyma illuc
translatam (vt quondam D. Catharinam ab ijisdē
Angelis sanctis, in montem Sinai, ex martyrii sui
stadio, deportatam legimus) aut repertam fingere,
& falsas quidē, sed lucrosissimas futuras, reliquias
obtrudere.

An non etiàm fortè maturè in cœlum receptum
Mariæ corpus, ne æui nostri furibundi Iconoclastæ
fra-

stæ & Reliqui mastiges, qui ne corpori quidem Christi in Eucharistia pepercerunt, illud quoque parùm virgineè tractarent, ac proculcarent?

Credamus igitur assumptam rediuiuam; plaudamus, ei que, quâ possumus, gratulemur; ac precemur, vt nunc cum venit in regnum suum, meminerit nostri, & cum ipsi iam sit optimè, prouideat & his qui sunt pessimè, & his qui non verè.

I bona, quò virtus tuate vocat: I pede fausto

Grandia latur a meritorum premia. Horat lib. 2, epp. ep. 2.

Memento nostri, cum benè tibi fuerit, ô hera, ô Domina, ô infinities melior, quàm illa Romanorum Bona Dea falsò credita!

In portu iam rerum tuarum secura, nauigantium adhuc inter Scyllas & Charybdes, ac tantum non naufragantium, miserere.

Non ignara mali miseris succurrere disce.

Tros te miseri, ventis maria omnia vecti

Oramus, prohibe infandos à nauibus igneis:

Parce pio generi, & propius res adspice nostras.

Virgil. 1. Aeneid.

D. Bernard, ferm. 4. de Assump. *Sit pietatis tuæ, ipsam, quam apud Deum gratiam inuenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam agris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium & liberationem, sanctis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solennitatis & letitiæ, dulcissimum Maria nomen cum laude inuocantibus seruulis, per te, Regina clemens, gratia sua munera largiatur Iesus Christus filius tuus Dominus noster.*

Quod inuenisti, de Adami perditione est. Restitue

stitue igitur nobis miseris Adami hæredibus
eius tantillam partem, vt viuat anima nostra.

Benefac, Domina, bonis & rectis corde.

Tui nunc otij est, precibus adiutare laborantes
in remigando. Ità causas illic nostras mortales
age, vt ne suspicemur, te in Cælis sedentem, coronas
ex floribus plectere, desidio sarum inftar, quem
quondam nescio quis pictor Sicyonius Pausanias
Brietis filius, & Pamphili Macedonis discipulus,
Glyceram corollarum textricem, quam adæmavit,
pinxit, tabulamq; ex argumento *Stephanoplocon*
appellauit.

Imò verò, tu iam laureata, & pro meritis coronata,
de coronis etiã nostris cogita.

Etiã *Hominem te memento*, dum triumphas,
non quidem ne animo efferaris, sed ne hominum
& naturæ tuæ consortium obliuiscaris.

Non credamus tantum, te beatam, te potèntem
te illic gratiosam, sed sentiamus.

Sic age, vt beatos aliquid agere, & nostra curare
intelligamus: neque audeat quis blasphemando dicere:

Id cinerem, aut Manes credis curare sepultos?

Scilicet is Superis labor est, ea cura quietos

Solicitat. Virgil. 4. Aeneid.

Palea & mica.

*1. *Moueri possit quæstio; Eccur anime tandem
ante corpora sua beentur?*

* *Item. Vbi fuit anima Virginis Mariæ illo tempore
duo, quo corporis sui adsumptionem expectauit?*

An in Cælo, yndè mōx descenderet, ad corpus iterum reditura?

An fortè, vt anima Christi in limbo, sic illa in purgatorio, non ad vllam sui purgationem, sed fortè ad consolationem mitigationemque pœnarum illic captiuorum, atque educationem eorum secum in Cælum, quemadmodum & *Christus ascendens in altum* è limbo & purgatorio quoque *captiuam duxit captiuitatem?*

* 3. *Summum* hodiè fuisse dæmonum tormentum, vtpotè videntium, id re ipsa contingere (puram sc. hominem, meramq; creaturam omnibus Ordinibus Angelorum anteferri) cuius olim odio, & dissensu à Deo, è Cælo ad Tartara deturbari meruerint, *Inuidia Siculi non inuenère Tyranni Maius tormentum.*

Angelis verò sanctis fuisse gaudium summum de ea re, ad quam, velut ad lapidem Lydium, probata olim laudatq; est eorum obedientia, & confirmata beatitudo, plausumq; quã potuerât maximum edidisse, quò magis ac magis omnib. probarēt, se perlibèter in veterem Dei adhuc ire sententiã,

* 4. *Triumphandi* ritus, qui fuerint apud Romanos, describit Ouid. lib. Trist. & de Ponto.

Cūr triūphare, cūr ouare tantū quibusdã permitteret Senatus Rō. videre est apud Plut in vitis.

* 5. De Maria Assumptione sic lib. 2. de vetulã, qui Ouidij esse nonnullis creditur, dist. 46.

Sed nec ad id quòd sic prelat a resurgat, oportet

Expectare statum motus in fine dierum

Quando resurrecturi sunt generaliter omnes,

Præsertim cùm sic (pro sic) illi carni specialis

*Causa resurgendi, quæ materialiter illam
De se producet carnem, quæ primo (pro, primo)
surgit,*

Vndè resurgendi vis propagabitur ad nos.

*Nec fas est etiã quod eat enus in minus alii
Sistatur suus ordo gradu, quia quam Deus ante
Secula donandam tanto prouidit honore.*

*Non opus est, vt eam velit exaltare gradatim,
Sed simul assumet, simul & sibi concatinedabit.*

IN FESTO S. BAR. PTOLO-
mæi Apostoli, Auesnis, 1614. 24. Augusti,
in Templo superiore sub meridiem; po-
scentibus Boskhierum Mercatori-
bus, Diui illius clientibus.

*Thema: Scio quod Redemptor meus
uit, & in nouissimo die de terra surrecturus
sum, & rursùm circundabor pelle mea, &
carne mea videbo Deum saluatorem meum
quem visurus sum ego ipse, & oculi mei
specturi sunt, & non alius. Reposita est
spes mea in sinu meo. Iob 19.*

D. Lucas c. 6. enumerans Apostolos, & bino-
ac binos semper faciens (Auditores, &c.
coniungit Philippum & Bar-ptolomæum; ideo
que tantò libentius de S. Barptolomæo hoc
dicam ego qui Philippus dicor, in gratiam D. P.
lip